


CHRISTOPH·S·R·E·CARD·A·MIGAZZI·AR·E·VIENS·S·R·I·PR·EPIS·VACIEN·AD·MIN
C·TODA F.
RELIGIONI ET BONIS ARTIBUS.
A:C:D:D:
1761
Mansfeld sc.

JACOBI WERNISCHEK

A. A. L. L. PHIL. ET MED. DOCT. EMINENTISS. AC CELSISS. S. R. E. TIT. S. S. QUAT. CORON. PRESBYT. CARDIN. S. R. I. PRINCIPIS ET ARCHI-EPISCOPI VIENN. &c.

ARCHIATRI ORDIN.

MEDENDI NORMA

AD

DIGNOSCENDAS EVELLENDASQUE IPSAS MORBORUM CAUSAS

PARS I.

DE

CAUSIS ACTIONUM OMNIUM ET MOTUUM EFFECTRICIBUS

EDITIO ALTERA

IN BREVES PARAGRAPHOS REDACTA, ET MULTIS PRACTICIS ANIMADVERSIONIBUS LOCUPLETATA.

VIENNÆ,

APUD CHRISTIANUM FRIEDERICUM WAPPLER,

1781.

EMINENTISSIMO

AC

CELSISSIMO S. R. I. PRINCIPI

CHRISTOPHORO

S. R. E. TIT. S. S. IV. M. M.

CORON. CARDINALI PRESBYTERO

E COMITIBUS

A MIGAZZI

DE WAAL ET SONNENTHURN

ARCHI - EPISCOPO

VIENNENSI

EPISCOPATUS VACIENSIS ADMINI-
STRATORI PERPETUO

SACRARUM CÆS. ET CÆS. REG. MAJESTATUM
ACTUALI CONSILIARIO INTIMO

INSIGNIS ORDINIS
S. STEPHANI REG. APOSTOLICI
MAGNÆ CRUCIS EQUITI
&c. &c.

RELIGIONIS BONARUMQUE ARTIUM

CULTORI PATRONO VINDICI

JACOBUS WERNISCHEK

FELICITATEM!

Si quid commodi ex hocce opere meo in medendi Artem redundaverit, TIBI id acceptum referet, PRINCEPS EMINENTISSIME! Nisi enim eo fores animo, qui alienas calamitates intueri sine misericordia non possit: nisi, inquam, sanctum TIBI foret decretumque, morbo & egestate laborantibus salutarem manum porrigere,

& quidquid medicamentorum nomine venire ſolet, gratis & liberaliter elargiri: non ego, quum TECUM vacii commorarer, tantum ægrotorum numerum ad me quotannis confluere vidiſſem, neque proinde in tot tantisque, & tam diſſimilibus morbis meam aut experiri operam, aut ſolertiam acuere vel volenti mihi, nitentique licuiſſet.

Intelligis, opinor, quare, qualemcunque hanc lucubrationem meam, & quidquid inde commodi in Artem medicam fortaſſe dimanabit, TIBI in acceptis referendum eſſe dixerim.

Patere igitur, PRINCEPS EMINENTISSIME! ut hunc laboris mei & experientiæ

apud TE potiſſimum acceptæ fructum TIBI nuncupem. Patere, ut pro oblato diſcendi campo & plurimis aliis, quibus me immerentem ornaviſti, immo cumulaſti, beneficiis publicas TIBI gratias agam, meque totum TIBI ſacrum dicatumque palam profitear.

AD LECTOREM.

Quum Prima Pars iſta ſit denuo typis committenda, ne quid, quod ad operis perſpicuitatem pertinere poſſit, deeſſe ſinam, referam primum breviter rationes, quæ me ad illud condendum adduxerunt; exponam dein paucis ipſum ſyſtematis ordinem; addam ſententias, quibus norma hæc nititur; ſubjungam denique, quæ Pars hæc complectitur. Rem vero ipſam in breviſſimas, quoad fieri poterat, redigam paragraphos, quibus ſingulis neceſſarios ſuos præficiam numeros, quo altera in alterius confirmationem & nexum revocari poſſit. Præponam inſuper cuivis Capiti Elenchum ſuis quoque inſtructum numeris.

Quantumvis itaque eandem omnes fere Medici docti ſint medendi rationem in ſcholis medicis, iisdemque imbuti principiis, abeunt nihiloſecius tamen in praxi ſectas in varias, proindeque diſpares curandi normas.

Præterquam enim quod varias ſibi forment ideas de Natura, de Calore humano, de Tranſpirabili, ut loquimur, corporis, aliiſque id genus, ex quibus diverſas conficiunt indicationes in morbis curationesque, habent & id, quod Alter ſe totum addicat methodo ſymptomaticæ; Alter ei, quæ eſt a ſimilitudine petita, ſeu juxta quam morbi ejusdem nominis eadem ratione ſunt tractandi; Alius remediis morborum ſingularibus ſive ſpecificis, quæ dicimus; Alii porro generalibus, ut cortice peruviano, & ſimilibus cardiacis, queis naturam adjuvent morbos ſubigentem; Alii denique in inquirendas & expugnandas ipſas morborum cauſas ſua ſtudia præcipue impendant.

Posteaquam praxi aliquamdiu dedissem operam, incidi in curandos morbos chronicos, quos, quod multum mihi cordi erant, diversissimis tum specificis, cardiacis, tum iis, quæ a similibus morbis, ut referunt Authores, jam curatis depromere poteram, atque etiam illis, quæ symptomata compescunt, tollere adnitebar. At omnibus istis, quæ secundum indicationes convenientia fore sum arbitratus, pertentatis, nihil pene confeci.

In hoc rerum statu non mihi supererat aliud, quam omni studio investigare ipsas morborum causas, easque evellere, quod etiam unicum votis respondit. Hinc perspexi, infirmas esse sæpenumero, si ultimam demas, recensitas medendi normas, istamque ceteris esse firmiorem.

Perpendenti subin diversas usu receptas curandi methodos venit in mentem, eandem causam morbificam quaslibet corporis humani partes invadere, occupare, earumve functiones conturbare, diversissimos itaque morbos inducere posse, & reipsa inducere; & e converso unam eandemque corporis partem a quibusvis morborum causis, adeoque distinctissimis affici posse, & reipsa affici. Rationibus istis ductus, methodum, quæ in ipsam morborum causam inquirere, istamque impugnare jubet, reliquis simpliciorem, tutiorem, atque rationi & experientiæ magis conformem esse judicavi.

Præferendam hanc ceteris methodum esse opinor vel ex eo etiam, quod firmiori videretur superstructa esse fundamento. Siquidem inter axiomata, quæ pro fundamentis habentur a Medicis, ut sunt: *Ablatis omnibus symptomatibus aufertur ipse morbus: A juvantibus & nocentibus optima sumitur indicatio: Ablata causa tollitur ejus ef-*

ef-

fectus : hocce ultimum firmius, magisque experientiæ respondens esse videtur. Inde talem, quantocunque staret labore, in proprium usum adornare decrevi.

Hoc constituto quæsivi ex me ipso modum, quo labor iste sit inchoandus? quo prosequendus? Post varia, quæ ad hanc rem facere videbantur, discussa, necessarium esse comperi, omnem dirigere conatum in conquirenda signa, e quibus caussas morborum quorumlibet agnoscimus. Distinguenda proinde accurate fuerant inter se symptomata, atque sejungenda ea, quæ ab ipsa caussa morbifica excitantur, a ceteris omnibus, quæ ab aliis caussis inducuntur.

Cum porro his distinguendis insisterem, atque cujusvis oborti effectus caussam persequerer apud infirmos, observavi, omnes prorsus effectus & symptomata a quatuor tantummodo generari caussis ab *Organismo* videlicet, seu mechanismo corporis, ab *Animo*, a *Corporibus Heterogeneis* sive alienis, & denique a *Natura.*

Organicæ corporis structuræ tribuendi erant effectus omnes, quos dicimus secundum sanitatem sive naturalem corporis conditionem; atque etiam illos, qui a vitiata proveniunt corporis conformatione: Animæ deinde illi omnes, qui ab actionibus animalibus ducunt originem: Heterogeneis denique illi, qui a caussa corporea, ad machinam corporis infirmi non pertinente, seu intrinsecus, seu extrinsecus in id agente, proficiscuntur.

Præter tres istas caussas, sive præter effectus, qui ad has tres caussas referri possunt, inveni quosdam tum in homine sano, tum in ægroto prorsus singulares, quos e nullo commemoratorum trium fontium deducere licuit, hinc aliam eos habere origi-

gi-

ginem intuli. Nemo eſt itaque, qui inde non intelligat, Naturam per me eſſe præter omnium mentem ab organiſmo ſeparatam, aliosque in iſtam, alios in organiſmum derivari effectus.

Etſi vero disjunctio iſta nova videatur, haud tamen hanc reipſa ſic novam reputo, ut eam mihi arrogem; ſiquidem omnes prorſus omnis ævi Medici agnoverunt, effectus Naturæ eſſe peculiares, atque ab effectibus Organiſmi omnino diſpares, quam ob rem illorum etiam effectricem ſingulari inſigniverunt nomine, quod poſtea ab omnibus conſervatum eſt, nomine videlicet Naturæ,

Poſteaquam quatuor iſtas adnotaviſſem cauſas, quæ omnes in nobis ſanis ægrotisque producunt effectus, *Organiſmum* nempe, *Animam*, *Heterogenea*, & *Naturam*, ſtatui ſingularum effectus ſtudioſe conquirere, & his compertis cauſarum vires, quas unaquæque exerit in humano corpore, perpendere, ac æſtimare, ſicque medendi normam ſive ſyſtema adornare.

Ad hoc autem, ut recenſitas quatuor cauſas generales (quod brevitatis gratia neceſſe eſſe duxi) compellarem nomine, hocque generico, non inconveniens fore exiſtimavi, ipſas nominare *Potentias*, quod omnia poſſint, efficiantque in humano corpore.

Dum ſubinde in colligendis harum Potentiarum ſeu cauſarum effectibus ac morborum ſignis diſcutiendis verſarer, animadverti, Potentias iſtas exerere effectus alios in corpore ſano, alios in ægroto. Diſponendum igitur fuerat ſyſtema iſtud ita, ut in Prima Parte examinarem vires Potentiarum in corpore ſano, & in Secunda vires, quæ obtinent in infirmo.

Poſt adnotatos Potentiarum effectus, poſtque diſcuſſas earum tum in ſano; tum in ægroto corpore vi-

res

res, vidi, quid Ars Medica possit? quidve præstare debeat? Hinc nata est Pars operis Tertia, ipsa videlicet remediorum applicatio, ad exstirpandas morborum causas conformata.

Quemadmodum vires Potentiarum discrepant ratione sanitatis & morbi, sic variant quoque in hominibus propter disparem corporum, in quibus reperiuntur, constitutionem. Hæc vero repetenda est a diversa hominum Ætate, Sexu, Temperie, & Consuetudine. Quare dividenda rursum erat Pars operis quælibet, atque ita ordinanda per sectiones, ut istarum Prima non alias comprehenderet Potentiarum vires, quam generales; Altera vero jam ad individua, ad ætatem nempe, sexum &c relatas: id est, ut Sectio Prima complecteretur Causas morborum Procatarcticas; secunda Proegumenas.

Effectus deinde Potentiarum non nulli fiunt causæ aliorum rursus sæpissime effectuum, uti Calor corporis, Transpirabile &c. utile proinde me facturum existimavi, si præcipuos Potentiarum effectus peculiari sive Tertia pertractarem Sectione.

Altera porro medendi hujus normæ Pars, in qua vires Potentiarum in corpore ægroto pensitare decrevi, in Quatuor Sectiones distributa erit: Continebit Prima causas Prædisponentes; Secunda Procatarcticas, sexdecim numeris absolutas; Tertia deinde statui explorare vires sapientissimæ illius morborum curatricis Naturæ, quid? quantumque valeat in morbis, & efficiat? In Quarta demum Sectione considero effectus Potentiarum, quatenus sunt signa causæ morbificæ, sui exstirpationem postulantis.

Tertia tandem Pars sistet ipsam medendi Artem, non amplius naturæ pedissequam, sed jam ejusdem Directricem, & morborum Exstirpatricem.

Me-

Methodus ista, quemadmodum consideranti patet, sequentibus nititur sententiis: 1. Quilibet præternaturalis humorum in corpore motus, unusquisque itaque morbus a causa quapiam suam deducit originem. 2. Quamdiu causa hæc agens existit in corpore humano, tamdiu perseverat ejus effectus, qui est morbus ipse. 3. Igitur si morbum removere velimus, causam ejus effectricem amoveamus primum, est necesse. 4, Sicuti quodvis symptoma sive morbus habet suam causam proximam; ita habet hæc quoque suam, &ista pariter suam, & sic progrediendo usque ad causam omnium Primam, omniumque malorum originem. exemplum sit spirandi difficultas. Causa istius proxima est spissus v. g. humor pulmonum vasa referciens, hujus vero causa est sæpe retentus in corpore cruor menstruus, istius porro quorundam vasculorum uterinorum obstructio, & hujus demum vitiosa sanguinis in utero abundantia. Hinc 5. dico, quemadmodum in hoc casu neque expectorantia, neque emmenagoga, neque obstructionem uteri reserantia locum habent, sed sanguinis emissio in brachio facta, qua causa tollitur astmatis omnium Prima; ita judico, in quolibet morbo non esse causam proximam, non scilicet id, quod functionem lædit, remediis impugnandum, sed illud potius, quod est origo ac fons cunctarum affectionum corporis, quodve Causam Primam nominandum duxi. 6. Cum singuli morbi a diversis & oppositis quoque causis possint generari, atque etiam quum causa ipsa non semper existat in parte corporis, quæ afficitur, non est curatio juxta morbi nomen instituenda, sed in evellendam causam morbi Primam adornanda. Cum etiam 7. una eademque causa plures & diversissimos morbos possit inducere, hi omnes, etsi diversa gerant in fronte nomina,

paria

paria deposcunt remedia. 8. Cuncta ista non conveniunt morbis tantum chronicis, verum etiam acutis. Hinc existimo, morborum subactionem non esse in his naturæ plene relinquendam, sed ipsam istorum pariter morborum causam Primam discutiendam, & remediis adversantibus infringendam: Quo statuto aliter tractanda est v. g. Pleuritis vera, quæ ortum sumit a refrigeratione; aliter, quæ a multo corporis motu; & aliter a nimia ingestorum copia, aut prava istorum indole &c provenit. 9. Symptomata quædam sunt in ipsa morborum cruditate, ut suo loco videbimus, effectus Naturæ Curatricis, atque adeo non omnia morbi, non omnia noxia, non omnia supprimenda. 10. Organismus demum corporis considerandus est tanquam instrumentum, quo & natura subigit materiam morbificam, & medicus eam subigere debet; Quocirca ita disponendus est, ut rite operari possit, crudumque peccans immutare, & exterminare.

Ex his perspicit, opinor, quilibet, quid velim? quove mens mea collineet? Partem etiam hanc Primam sic institutam esse censeo, ut unusquisque reliquas non multo labore ex ea ipse conficere valeat. Et si cuipiam minus probaretur hæc medendi systematis constructio, reperiet attamen in hac operis Parte præter uberiorem, & memoria constanter recolendam omnium tum Proegumenarum, tum Procatarcticarum causarum expositionem, præterque corporis humani partium consensum, atque temperierum distributionem, factam juxta corporis altitudinem; sensum etiam peculiarem de causa fluxus menstrui, causaque sanguinem in pulmonibus perficiente, de calore humano, frigorisque materie, transpirabilis indole, aliisque, quia sunt fundamentum, cui medicus suam superstruit curandi rationem, necessario definiendis.

DIVISIO
HUJUS PARTIS
SECTIO PRIMA
DE
QUATUOR CAUSIS GENERALIBUS CUNCTA IN HUMANO CORPORE EFFICIENTIBUS.

SECTIO SECUNDA
DE
CAUSIS PROEGUMENIS.

SECTIO TERTIA
DE
PRÆCIPUIS POTENTIARUM EFFECTIBUS.

SECTIO PRIMA.

DE

QUATUOR CAUSIS GENERALIBUS, CUNCTA IN CORPORE HUMANO EFFICIENTIBUS.

CAPUT PRIMUM

DE


CAUSA PRIMA SIVE DE NATURA.

1 Natura dicitur caufa quarumvis actionum fpontanearum corporis noftri,
2 Et optima morborum medicatrix.
2 Ita Hypocrates, Galenus, Sydenhamus & reliqui.
4 Inquirendum eft itaque, quid per nomen naturæ fit intelligendum?
5 Vocabulum iftud diverfe fumitur a variis.
6 Ea folum natura eft hic animo luftranda, quæ humana dicitur.
7 Tres funt de hac authorum fenfus.
8 Helmontiani eam volunt effe ens peculiare,
9 Abeuntque in partes tres.
10 Quorum aliqui afferunt, archæum agere viribus propriis, etfi non effet fpiritualis.
11 Alii vero exiftimant, ens iftud effe verum fpiritum;
12 Quidam autem, naturam divina providentia regi, arbitrantur.
13 Super cunctorum horum argumentis fatis jam eft difputatum.
14 Alteræ (§. 7) claffis medici ajunt, naturam humanam effe idem cum anima ratiocinante.
15 Verum nec ifta fubfiftit opinio.

43 Non igitur ens peculiare, neque mechanifmum corporis;
44 Sed fimilem gravitati cæterorum corporum proprietatem.
45 Hinc effectus naturæ non funt alii, quam qui a dicto generantur defiderio.
46 Quam ob rem nihil deminus mechanifmo,
47 Aimusque naturam non conftanter operari.
48 Si quis dixerit, authores medicos non hanc intellexiffe naturam,
49 Refpondebo, oportuiffe prius examinare, quid natura fit in corpore fano?
50 Hac autem ftatuta, exiftimandum eft, eandem effe quoque in nobis infirmis, quæ eft in fanis.
51 Siquidem etiam in fano procurat valetudinem & vitam hominis.
52 Verum examinemus effectus naturæ in ægris quoque.
53 Talis eft fenfus fitis, fed hæc eft a prædicto defiderio;
54 Gratus item aquæ, dum potatur a fitiente, fapor;
55 Appetitiones pariter rerum fingularium;
56 Determinatio quoque humorum major ad caput, dum meditamur;
57 Motus non minus febrilis.
58 Veluti obfervata comprobant.
59 Calor fimiliter manuum, dum nivibus perfricantur,
60 Atque febris partis fingularis.
61 Suffragantur noftræ huic fententiæ ipfi viri Practici,
62 Agnofcuntque, naturam effe potentiam peculiarem.
63 Diftinquunt infuper inftinctus in veros & fpurios.
64 Per vim naturæ five vitæ fuperftitis in morbis, inquiet aliquis, intelligendos effe fpiritus vitales.
65 Idve exemplis fortaffis Illuftrare conabitur.
66 Verum non funt levia, quæ huic obftant explicationi.
67 Caufa, dicet alius, motus febrilis eft materies morbi irritans.
68 At vero hæc non videtur effe caufa febris continuæ,
69 Neque inflammatoriæ.
70 Hinc eadem natura, quæ eft in nobis fanis, eft quoque morborum curatrix.
71 exiftimabit fortaffe aliquis, nimium a nobis tribui naturæ.
72 Verum aquiefcet, opinor,



SE-



SECTIO PRIMA

DE POTENTIIS SIVE CAUSIS EFFECTRICIBUS GENERATIM

CAPUT PRIMUM

DE NATURA HUMANA.

1. Eum natura consecuta est apud Medicos existimationis gradum, ut quæcunque accidunt in corpore humano, si non fuerint effectus animæ ratiocinantis, vel suos musculos moventis, ipsi attribuant. Quaslibet proinde actiones, sponte sua exortas, naturæ progeniem esse asserunt, quocirca vocant eas etiam naturales.

2. Parem, immo majorem adhuc opinionem fovent Practici de viribus naturæ in morbis. Omnes enim, qui excelluerunt in medicando, unanimi voce profitentur, naturam esse optimam morborum curatricem, eamque non solum recta tutaque simul in curandis

morbis procedere via, ſed pertinaciſſimos etiam ſæpenumero propriis viribus ſubigere morbos. Quam ob rem ajunt, eos tantum medicos ad lecticas ægrorum eſſe poſſe felices, qui naturam in morbis operantem acute contemplantur, ſtudioſe obſervant, & ſolicite imitari adnituntur.

3. Hypocrates divini aliquid, dum de natura loquitur, in nobis ineſſe dixit. Galenus plenam ipſi tribuit morbos abigendi poteſtatem; Duretus inquit, debere eum, qui magiſter in medendo eſſe vult, fideliſſimum ſe præbere naturæ imitatorem; Sydenhamus tantas agnovit in hac medicatrice vires, ut ſæpius ſe ſpectatorem ſolum egiſſe fateatur. Frider. Hoffmannus plurimos medentium errores deducit abinde, quod negligant operantem in morbis attendere naturam, eique morem gerere. Boerhaave dicit, verum honorem medici conſiſtere in eo, ut ſerviendo liberaliter fidelem ſe præſtet naturæ ſervulum. Et ſic viri alii celeberrimi.

4. Cum autem omnes prorſus Authores, longa experientia docti, confirmatique tanta referant de naturæ viribus, tantopereve, veluti nunc commemoravimus, eam quibusvis juvenibus Medicis commendent, maximæ operæ pretium eſſe, ſum arbitratus, requirere, quid hi per naturæ vocabulum intelligant? quidve intelligendum velint?

5. Naturæ nomen diverſe a variis ſumptum eſt, & etiamnum ſumitur. Quidam enim unicam adſtruunt naturam, quam per univerſum diffuſam eſſe, ajunt. Aliqui referunt hoc nomen ad regna, ut loquimur, naturæ, ſermocinanturque de natura foſſilium & animalium in univerſo, quandoque diſſerimus de natura hominum, canum, equorum &c. in genere; aliquando autem in ſpecie, unde dicuntur ſinguli hominum habere naturam propriam, & a ceterorum natura diſtinctam; non raro deinde deducimus etiam hocce vocabulum ad ipſas partes, corpus noſtrum componentes, ad v. g. ſanguinem, dum ejus indolem explicare volumus.

6. In diverſa nominis iſtius uſurpatione eſt nobis ea unica conſervanda, de qua cogitaſſe videntur Practi-

ctici, dum naturæ imitationem commendarent junioribus: Illa nempe, quæ universum complectitur genus humanum idque solum, humana eapropter appellata.

7. Quid hoc sit in nobis, & cujus indolis, quod naturam vocamus? communi sententia definitum non est. Quidam id ens peculiare; multi non nisi mechanicam corporis structuram; alii rursum aliud esse, perhibent. Cunctorum Authorum opiniones, de naturæ indole conceptas, ad tres se classes reduci sinunt: Ad sensum videlicet Helmontianorum, qui naturam humanam ens singulare asserunt; Ad eorum deinde, qui animam ipsam hoc nomine sumendam volunt; & denique ad illorum sententiam, qui naturam ipsum corporis nostri mechanismum esse, statuunt.

8. Helmontii & eorum, qui ad istius accedunt sensum, mens est, id, quod cordi & vasis actionem tribuit, humorumve in nobis itum conservat, auget, minuit, & in varias corporis determinat partes, variosque suscitat instinctus &c. esse aliquid peculiare, diversumque a corporis fabrica, peculiari idcirco etiam nomine, Archæi videlicet, Principii primi, Duumviratus, Animæ sensitivæ &c. appellandum arbitrantur.

9. Classis istius medici, quos omnes Helmontianos in hoc opere compellabo, conspirant in eo, quod ens istud sit adeo irritabile, ut a causa irritante illico permoveatur ad actiones, & si causa stimulans fuerit mediocris, sit actio quoque Archæi talis; at si stimulus sit vehemens, natura agatur in perturbationem maximam, & quasi in furorem rapiatur, quemadmodum evenire, ajunt, in febribus acutissimis, convulsionibus majoribus, & similibus: dissentiunt autem in opinione, quam sibi de indole hujus entis formant, inque tres secedunt conjecturas.

10. Illi, qui Helmontio strictius adhærent, inquiunt, Archæum exequi cuncta sua ordinatissime, & sapientissime, non ex consilio, aut prævia deliberatione, sed coacte, secundum leges & ordinem, divinitus sibi præscriptum. Non esse itaque quidquam spirituale, aut rationis cujuspiam particeps, etsi ens peculiare.

11. Ordinatiſſimas vero qui non ſatis admirari poſſunt & ſimul ſapientiſſimas naturæ actiones, non valent ſibi temperare, quin ens iſtud vera ratiocinandi facultate prædituin, verum ideoque ſpiritum eſſe, aſſerant.

12. Tertium Helmontianorum genus eſt, quod mediam inter priorum duorum ſententias viam aſſumit, exiſtimatque naturam humanam non quidem eſſe vere ſpiritualem, ſed neque propriis viribus ea, quæ perficit, eo exactiſſimo ordine, in quo verſatur ſemper agens, exequi. Divina inde Providentia, credit, directrice ipſam opus habere, dirigique iſta in ſingulis actionibus.

13. Argumenta, quæ hi omnes ad demonſtrandum ens ſuum adferunt, cum ex eis ipſis, aliisque peti poſſint, ſatisque jam etiam diſſoluta ab Authoribus medicis eſſe, putem, neque ea recenſendi admittat compendium, cuncta prætermittere conſtitui.

14 Secundæ (§. 7.) claſſis Medici, qui ſtatuunt, naturam nihil eſſe diverſum ab ipſa anima noſtra ſpirituali, dicunt, actiones, quas a natura derivamus, eſſe non minus actiones animæ ipſius, quamvis neque volens ponat eas, neque ſe operari advertat; quam ſint actiones ab hac ipſa, ſe ad eas ultro determinante. Omnes itaque coctiones, ſecretiones, motus, & quidquid in nobis contingit ſive ſponte, ſive ab anima volente, ab hac ipſa repetendum eſſe, cenſent. Argumentationes iſtorum, ne quidquam minus neceſſarium adferamus, dimittamus pariter. Rationes vero, quæ me ab hac ſententia removent, ſunt iſtæ:

15. Æquales 1*mo*. iis, quæ in noſtro accidunt corpore, obſervamus alimentorum tranſmutationes, ſecretiones, nutritiones &c. in plantis. Si autem cuncta, quæ appellamus in nobis actiones naturales, perficiuntur in vegetabilibus, in corporibus ſcilicet, in quibus nulla exiſtit anima rationalis, fient eæ in noſtro quoque corpore abſque anima directrice. Conatur 2*do* Anima interdum ſe opponere impulſui naturæ, v. g. ſomno, ſiti, quo fieret, ut ſecum ipſa certaret, oppoſitos erigendo motus. Exerit 3*tio* natura ſæpe effectus, qui rationi adverſantur, uti eſt amor paren-

tum

tum, quem ipsi genitores nimium esse agnoscunt sæpenumero. 4to denique, si anima esset idem cum natura, ista foret tanto potentior, quanto anima est sapientior, experimur autem, tanto infirmius esse corpus, actionesque naturales, quanto anima plus exculta est per studia; demonstrabimus infra quoque, naturam in bestiis pluribus esse dotibus exornatam; quam naturam nostram.

16. Tertiæ (§ 7.) demum classis medici, qui naturam humanam in unico corporis mechanismo sitam, arbitrantur, definiunt eam esse aggregatum omnium virium & actionum corporis nostri. Quidquid igitur observamus fieri in nobis, quod non est ab ipsa anima volente, id hi a mechanismo corporis, seu perenni humorum in vasis motu, per alienas causas sæpius mutato, unice repetunt, istum vero ipsum non ab ulla alia causa, quam pure corporea concitari, concitatumque conservari, perhibent.

17 Omnis, ratiocinantur isti, (quos mechanicos nomino) hodiernam Physiologiam doctus, perspicit, quomodo humores agant in vasa corporis, & hæc vicissim in illos, taliterqve fluidorum circuitus, ex quo calor, coctiones, secretiones, &c. generantur, conservetur. Hinc vanam prorsus & spernendam esse omnem, super indole naturæ confictam ideam, quæ aliena est a mechanismo, concludunt.

18. Tantos obtinuit hæc sententia Fautores, ut Medicus, qui eam vel in dubium vocare cogitaret, vereri debeat, ne aut levitatis, aut plane temeritatis arguatur. Absit a me quoque quam longissime, ut vel unicam actionem, quam naturalem communiter nuncupamus, in nobis contingere solitam, ab alia causa, quam a puro mechanismo, deducam.

19. Verum enim vero, quantumvis ne hilum quidem mechanismo derogatum unquam esse voluerim, fateri nihilominus cogor, me incidisse in motus quospiam & effectus corporis nostri, eosque non paucos, quos unusquisque naturæ progeniem esse asserit, & qui non ulla ratione a mechanismo corporis derivari posse, videntur. His insuper ipsos strenuos mecha-

nismi defensores animadvertisse, ratus sum, non adeo stricte adhærere mechanismo, ut non in aliam de natura opinionem nutarent. Rationibus istis permotus concepi animum investigandi (seposito interim mechanismo) id, quod in nobis naturam appellamus: Investigationem istam hoc modo sum adorsus.

20 Si effectus in nobis observandi, quos omnium consensu naturæ genituram esse dicimus, per non ullas leges mechanicas, hydraulicas, hyhrostaticas, aut chemicas se explicari concedunt, non sunt a mechanica corporis structura repetendi. At si alteri, quam corporeæ, adeoque diversæ a mechanismo causæ excitanti sunt attribuendi, non est natura, eorum utpote genitrix, ipse mechanismus corporis nostri, sed aliquid dispar ab eo tum indole tum potentia. Subin ratiocinabar ita:

21. Tantam habet natura humana analogiam cum natura bestiarum, ut qualis alterutra earum est indole, talis quoque genii altera esse debeat. Unde existimavi, si naturam in ceteris animalibus deprehenderem, esse aliquid diversum a mechanismo ipsorum corporum; idem de natura in homine censere, fas foret. Descendi proinde primum in contemplationem actionum animalium ratione destitutorum, quas ab eorum natura deducimus, & reperi sequentes:

22. Quodlibet volucrum genus conformant singulares prorsus, & summi sæpius artificii nidos. Postquam aves enixæ sunt sua ova, fovent ea continuato calore incubatus, modo mas, modo femina, usque ad exclusionem pulli; sobolem hanc suam defendunt ab omnibus aeris, ceterisque injuriis solertissime, tuenturque adversus inimicum cum maximo etiam interdum propriæ vitæ periculo. Dum ipsam nutriunt, imponunt rostrum in hiantes pulli fauces, corpusque movent suum diverse tamdiu, donec ex ingluvie matris revertatur esca, jam multum antea macerata, in sobolis fauces immitenda. Posteaquam pullus id nactus est pennarum robur, ut ipse jam possit nutrimento suo prospicere, educit eam mater, indicatque pabulum quærendi & modum, & locum. Quamdiu pullus nidum incolit, cavet studiosissime, eum excre-

crementis, re utpote maxime noxia, fædare; scit quoque, nemine docente, caput esse, dum bibit, in altum tollendum. &c.

23. Cuncta ista & quæ sunt ejusmodi fere innumera, peragunt volucres instigante, velut quisque loquitur, natura. Ista ergo in avibus est causa omnium recitatarum actionum. Verum hoc ipso, quod natura in bestiis dicatur causa actionum istarum & similium, non potui mihi persuadere, ut admitterem, naturam in bestiis esse id idem, quod in eis est mechanismus corporis. Nunquam enim existimare possum; vixque ullum esse, qui, re intimius spectata, existimet, opinor, enarratas volucrum actiones esse effectus solius mechanicæ ipsarum corporum fabricæ, avesque ab hac ipsa & unica compelli ad perficienda recensita, & similia. Quid jam de miris quoque apum, formicarum, & ceterorum vilissimorum animantium actionibus, ad quas determinantur a natura, censendum sit? judicet quisque.

24. Erit fortassis, qui dicet, actiones istas, cum perficiantur a musculis, qui animabus bestiarum sunt subordinati, habere animas potius istarum, quam corporis structuram pro causa. Hinc non sunt dicti effectus naturæ producta stricte appellandi, etsi eos vulgo talia dicamus; sed animæ.

25. Huic, si quis foret, responderem: si recensitæ actiones essent animabus avium, apum, formicarum &c. tribuendæ, deberent esse istis conformes. Videmus autem, actiones has esse ordinatissimas; in optimum semper finem directas & sapientissimas, sive omnino tales, quæ vim omnem excedunt animarum, ratiocinandi facultate destitutarum. Sunt dein effectus, exinde resultantes, tanti sæpe artificii, ut eos homo in geometricis versatissimus vix conficeret, uti est favorum, non nullorumve nidorum fabricatura. Quodvis porro etiam volucrum genus ubivis regnorum pares semper construit nidos, & construet ipsos in futurum forma, structura, magnitudine, & materia constanter eosdem, quin aliquid sit additurum, omissurum, aut immutaturum. Hoc certe non eveniret, si aves secundum suam intelligentiam conderent nidos.

26.

26. Omnia, quæ hucusque de avibus & apibus dicta sunt, reperimus in reliquis similiter animalibus. Quoniam non minori fere industria effodiunt vulpes & ceteræ hujusmodi bestiæ cellas suas subterraneas; quam aves suos construunt nidos: non minori quoque, quam volatilia, suam diligunt, fovent, tuentur reliqua animalia progeniem. Par, immo major adhuc observatur dexteritas in vulpibus, lupis, catis, & similibus bestiis, dum in comparanda sibi esca occupantur; quam in avibus. mirus sane est quoque modus, quem adhibent canes ceteraque hujus generis animalia, dum potant, miraque contorquent linquam ratione, & sic de aliis infinitis quadrupedum, & ceterorum actionibus, quas omnium consensu eorum naturæ, tanquam causæ excitanti, adscribimus.

27 Ex recensitis hisce & aliis pluribus hujusmodi actionibus liquet, opinor, existere in bestiis, præter earum animam & corporis structuram, aliquid, id est, Potentiam aliquam, quæ animalia ad peculiares actiones compellit assumendas, inque eis versantia regit.

28. Illationi huic suffragari videntur ipsi Physici, siquidem omnes, ut causam dictarum actionum tum ab anima bestiarum, cum etiam ab earum corporis mechanismo plene distinguerent, ei proprium imposuerunt nomen, nomen videlicet naturæ.

29. Admisso eo, quod naturà bestiarum sit, ratione nostra, Potestas diversa ab earum animabus, & simul a structura corporum, possem equidem ex maxima, quam habet natura humana cum natura bestiarum, analogia inferre, naturam æque humanam esse potentiam peculiarem & distinctam tum ab anima, tum etiam a corporis mechânismo; verum examinemus actiones quoque, ad quas natura nos compellit nostra, atque discutiamus effectus exinde ortos, utrum sint animæ, aut mechanismo, aut potius alteri causæ, quemadmodum in bestiis, adscribendi?

30 Vix conspicit genitus infans lucem, jam scit, ore capiendum esse cibum; scit eum ex uberibus nutricis esse depromendum; scit jam, nullo instruente, lac sugere, pulmones videlicet esse tunc dilatandos, & lac in-

instar aeris, conclusis per velum palatinum retrorsum naribus, attrahendum. Dum dentes surgere incipiunt, quidcunque manibus prehendit, ori suo, ut illorum adjuvaret per separandas gingivas transitum, imponit. Animadvertat infans manum percutientis irruere in suam faciem, avertit istam illico, & clausis oculis reducit una caput. Homo adultus vix observat lapidem v. g. de alto in suum caput labentem, jam objecta est manus illabenti, jam caput corpusque illi subtractum. Si musca pedem pungat, eam abigimus sine mora, quin tamen, quid agamus, advertamus ipsi. Amor dein parentum ad proles est, erigente talem natura, tantus, ut dici omnino debeat maximus.

31. Actiones istas & effectus, ceterosque similes esse producta naturæ humanæ, adstruitur ab omnibus. Videamus jam, utrum animæ ratiocinanti? deinde utrum mechanicæ corporis constructioni sint in acceptis referendi?

32. Ab anima, dico, humana memoratas actiones non esse deducendas, quia 1*mo* pares notamus in quadrupedibus ceterisque, omni argumentandi facultate destitutis. 2*do* infans recenter natus nondum est eo judicio præditus, quo cognoscere posset suum alimentum, ejusque scire assumendi modum. 3*tio* nemo est, qui crederet, infantem prævia argumentatione admovere sub dentitione gingivis, quidquid manibus tenet. 4*to* prius longe obiicimus manum lapidi illabenti, quam temporis spatium ratiocinari concedat, quid tum nobis sit agendum? 5*to* muscam fugamus etiam dormientes. 6*to* effectus, quos parentes, amore in sobolem moti, edunt, ponuntur plus coacte, quam svadente ratione. 7*mo* denique, quia omnium effato actiones istæ dicuntur esse a natura, & non ab anima promotæ.

33. Haud majori deinde jure videtur adductarum actionum causa in mechanismum conjici posse. Nam 1*mo* sunt actiones per musculos animales sive ab ipsa anima positæ. 2*do* non unica potest, existimo, assignari causa corporea, D. sive in infante, seu etiam in adulto, quæ in his commemoratas excitaret actiones,

&

& utrunque ad iſtas cogeret perficiendas. 3*tio* demum, non eſt unus, opinor, qui eas, ut lac ſugere, manum lapidi cadenti opponere, &c. a mechanica corporis ſtructura repeteret.

34. Dicet quidem, haud dubito, mechanicus, defectu nutrimenti ſic affici nervos recenter geniti, ut inde mota anima compellatur ad ducenda ubera; titillatione pariter gingivarum, a ſurgentibus infra dentibus excitata, eam fieri in infantis cerebro impreſſionem, ut iſte hac concitatus omnia, quæ manibus prehendit, ori ſuo imponat, & ſimiliter de reliquis naturæ actionibus. Eſt, inquiunt, machina corporis noſtri ſic fabrefacta, ut ſimul, atque defectus aliquis humorum in ea natus eſt, aut alienum partem ejus aliquam irritat, perturbetur, & conturbata tales imprimat motus in nervis ſentientibus, quibus anima ad ſingulares actiones, quas naturæ nominamus effectus, compellitur producendas.

35. Cauſam vere materialem exiſtere ſæpiſſime in humano, reſpondeo, corpore, quæ naturam, aut, ſi mavis, animam ad agendum concitat, nemo unquam ibit inficias. Verum an talis cauſa ſic poſſit diſponere mechaniſmum corporis, ut is ea porro ratione nervos animales afficiat, qua anima compelleretur ad certas, quas naturæ attribuimus, actiones perficiendas? in dubium omnino vocari debere, judico. Non, inquam, negabo, cauſam eſſe pure corpoream, quæ ſub dentitione cogit infantem gingivis admovere, quod in manibus habet. Aſt non poſſum perduci, ut credam, hanc gingivarum titillationem virtute propria ſic poſſe nervos animales afficere, ut dicta ſequatur actio, ſeu illos ſolum nervos manus irritare, qui agere debent, dum aliquid prehendere, & in os deferre volumus.

Nullus quoque inficior, inopiam liquoris nutritij in nunc genito eſſe cauſam famis; aſt non unquam concedere poſſum, moleſtam hanc famis ſenſationem dicere infanti, lac eſſe aſſumendum, ſimulque docere modum, quo iſtud eſt ſugendum, & ſic de ceteris. Aliquid profecto ſingulare intercedere debet inter affectionem

ner-

ervi, a causa corporea inductam, & inter actionem ısam.

36 Eandem causam, naturam scilicet, videtur agnoscere timor mortis, cujvis animato ingenitus corpori, multorumve effectuum auctor. Non enim contionem corporis, quia hoc nullum alit commercium m morte, a se remota. Est dein etiam mors de se hil: non potest autem id, quod in se nihil est, ita overe corporis animalis structuram, ut metum in suscitet. Verum neque animam, quia 1mo metus rtis est nobis congenitus, & non imaginando par-. 2do nemo potest id timere, quod, quid reipsa ? ignorat. 3tio anima rationalis non potest aversari solutionem sui a corpore, per quod innumeros pe-. cogitur perferre cruciatus. 4to denique animal, mi carens judicio, tremet, timore mortis perculsum, m ad lanienam, ad mortem trahitur.

37. His & similibus, quæ ab omnibus medicis naæ vocantur effectus, in animadversionem deductis, rum & indubitatum esse, puto, id, quod natun appellamus in nobis, non esse mechanicam corpofabricam, non scilicet, quemadmodum mechanismi tores sermocinantur, aggregatum solummodo virium chanicarum.

38. Cum autem natura humana neque sit anima hous ipsa, se ad actiones determinante; neque mechamus corporis, sequitur, eam esse potentiam uliarem, tum ab anima rationali, cum etiam a chanismo corporis distinctam, veluti de natura berum fuimus ratiocinati.

39. Opinabitur fortassis nemo unus, me, quod naam & ab anima, & a corporis mechanismo seavi, atque vim peculiarem esse, dixi, deflese ad Helmontianos, similemque Archæo admittein nobis naturam. Haud quaquam, quemadmodum vis post expositam nostram, de naturæ indole contam ideam, postque uberius recitatos istius effectus picict. Sit interim hoc: subtraxi contra Helmontiaum mentem naturæ omnes prorsus mechanismi iones, istumque proprias suas, a natura neutiquam

pen-

pendentes, peragere actiones, statuo. Transeamus jam ad ipsam indolem naturæ perlustrandam.

40. Effectus naturæ humanæ hucusque recensiti, & similes alii infiniti sunt actiones, quæ ab ipsa perficiuntur anima. Ponit dein ista eas volens, & se ipsam ad actiones determinans, at simul coacta, quia compulsa. Excitat nempe natura stimulos varios, nunc gratos, quos animus sequi vult, quia cogitur; nunc vero ingratos, quos e contrario avertere molitur, quia cogitur pariter. Stimulos istos communiter instinctus naturæ vocamus. Quidquid animus agit, ad actionem a natura concitatus, dicimus, eum id, quod perficit, agere instinctu naturæ: causam autem hanc appellamus naturam.

41. Finis, in quem ista suas semper dirigit actiones, observatur esse triplex; Quædam earum spectant ad conservationem hominis in specie illius, cujus natura est; tales actiones sunt, quas exerit homo in mortis discrimine constitutus, ejus timore prehensus. Aliæ deinde actiones respiciunt conservationem suæ gentis, veluti sunt illæ, ad quas suscipiendas adiguntur parentes per amorem filiorum, accurrunt ipsa quoque animalia ejusdem generis in auxilium periclitantis animalis sibi similis. Aliæ denique ordinantur in multiplicationem gentis, uti sunt actiones, quas exequitur juvenis, dum placere puellæ; & hæc vicissim, dum illius aucupari affectionem intendit.

42. Ex triplici hoc scopo, in quem natura suos dirigit instinctus, atque ex eo simul conatu, quo anima fertur ad parendum his incitamentis, conficitur, nobis ingenitum esse desiderium, nosmetipsos, nostrumque genus conservandi & id multiplicandi. Natura proinde, quæ causa dicitur horum instinctuum, & ex his promanantium actionum, non videtur aliud esse, quam hocce ipsum, nos, nostrumque genus conservandi, & multiplicandi desiderium.

43. Non est mihi ergo natura humana ens peculiare neque quidpiam spirituale, neque anima ipsa, neque etiam mechanismus corporis; sed unicum conservandi & multiplicandi desiderium, nobis congenitum; pe-

peculiaris nempe facultas, corpori & menti conjunctis data, ab omnibus tum animæ, tum etiam mechanifmi facultatibus diverfa.

44. Indidit univerfi Creator quibusvis corporibus, terraqueum hoc, quod incolimus, componentibus, vim attractivam, qua hoc idem optime confervatur. Impreffam, inquam, habet a fuprema rerum providentia quodlibet telluris corpus gravitatem ac nifum, & quafi inftinctum petendi centrum iftius, ut ita terraqueum hoc confervetur ratione, ut loquimur, prorfus naturali: nihil iniquum proinde me allaturum, exiftimo, fi dixero, eadem ordinante providentia fingulis pariter hominibus, fingulisque animantibus ingenitum effe defiderium, fe ipfum, fuumque genus confervandi, & id adaugendi.

45. Si naturam humanam conftituimus effe unicum defiderium confervandi & multiplicandi, non licet nobis alios a natura deducere motus & inftinctus, atque ab his porro actiones & effectus, quam eos folum, qui ab expofito ifto defiderio ortum fumunt. Quidquid igitur ab eo non provenit, naturæ effectus non eft. Non ergo natura eft id, quod cibos digerit; quod humores movet, mifcet, fegregat; quod corpus nutrit &c. fed unicus cuncta ifta perficit propriis viribus organifmus five mechanifmus.

46. Exinde patet, me organifmo corporis noftri nihil prorfus derogatum velle. Peragit, opinor, ifte omnes fuas actiones virtute propria & ea ratione, qua ipfum Phyfiologia hodierna operari demonftrat. Non alias itaque actiones naturæ tribuendas, puto, quam quæ excedunt vires organifmi, neque etiam ab anima, ut caufa, fe ad eas fponte fua determinante, defumi poffunt, id eft, actiones folum illas & effectus, qui a commemorato defiderio proficifcuntur. Hinc exiftimo, naturam non effe in conftanti, licet id omnes velint, operatione conftitutam, fed agere tantummodo, quando inftinctus aliquis, dictæ confervationi, vel multiplicationi deftinatus, obfervatur in nobis fufcitatus.

47. Difplicebit fortaffis non nullis, quod naturam, præter ceterorum opinionem, non conftanter operari,

multum ideoque tempus quasi ſtertere cogitem. Verum quid officit, quod eam ſæpius extra actiones conſtitutam eſſe judicem? Poteſt utique deſiderium alius cujuspiam actionis diu exiſtere in homine, quin id ſuos exerat motus. Poteſt utique aliquis habere deſiderium v. g. conſervandi theſaurum ſuum, quin is, hoc ſatis alioquin cuſtodito, molimen adhibeat, eum recondendi, aut quin angatur ipſum tuendi ſolicitudine.

48. Videor etiam mihi videre erigentem ſe adverſus me aliquem medicorum mechanicorum, & dicentem: Quid nobis hæc natura, cujus vis non tenditur, velut in recenſitis apparet exemplis, ultra nervos animales? Quid hæc ad morborum curationem? non hæc ſane eſt idea, quam de natura humana ſibi formarunt Authores medici, dum de ea, tanquam de optima morborum medicatrice graviter prædicarent. Vis proinde illa, quam nomine naturæ inſigniverunt, locanda eſt potius &, quærenda in actionibus ſponte ſua procedentibus ſive organiſmi, quocirca iſtas etiam naturales appellamus; & non in actionibus animalibus.

49. In organiſmi certe, & non in animæ actionibus quærenda eſt, reſpondeo, vis illa, morbos propria virtute ſubigens. Neque ſunt, confiteor, alia, quæ hucusque adduxi ad probandum, naturam humanam eſſe purum deſiderium, exempla, quam ex actionibus animalibus deprompta, verum neque etiam eo adhucdum intendebam animum, neque eo ipſum intendere licebat hactenus, ut exponerem, quid de natura, ut morborum curatrice, ſentiam? Ante enim quam naturam ſuſciperem expendendam in morbis, neceſſarium eſſe, exiſtimavi, eam prius in ſano corporis humani ſtatu contemplari. Sufficiat itaque interea commonſtratum eſſe, naturam in homine ſano eſſe deſiderium innatum, ſe ſuumque genus conſervandi, idve ampliandi. Siquidem hoc evicto, patet tranſitus ad naturam tanquam medicatricem diſquirendam; hocque evicto, dico:

50. Unica, neque plures admitti poſſunt naturæ in homine. Si proinde inſtinctus naturæ in homine ſano, queis anima permovetur ad agen-

dum

dum, adſcribendi ſunt commemorato deſiderio; cenſendum eſt quoque, illos pariter inſtinctus naturæ, qui in homine ægrotante ſive animam, ſive organiſmum cogunt ad actiones, provenire ab eadem cauſa, ab eodem videlicet conſervandi deſiderio.

51. Si deinde natura in quovis animato, quæ tum hominem, tum quodlibet aliud animal ad ſupra enarratas impellit actiones aſſumendas, eſt congenitum conſervandi deſiderium, tanto minus rationi repugnare videtur, dum adſtruitur, ejusdem hujus deſiderii poteſtatem, quia conſervationem vitæ pro ſcopo habet, extendi ad actiones etiam organiſmi, quarum opera vita hominis eſt conſervanda, ut potius illi conforme eſſe appareat, verum progediamur ad ipſos naturæ inſtinctus diſcutiendos, quos obſervamus in corporibus hominum morboſis, inque functionibus organiſmi.

52. Primus & maxime obvius naturæ inſtinctus, qui ſe nobis ſiſtit in ægrotante ſive in illo, in cujus organiſmo defectus liquoris cujuspiam natus eſt, eſt inſtinctus bibendi, quem vocabulo ſitis exprimere ſolemus. Cum hæc autem a cauſis diverſis poſſit induci, nempe per imaginationem; per aſſumpta ſalia, adſtringentia &c, vel deficiente liquore diluente, & ſic porro, monendum eſſe duxi, non hic aliam ſitim habere locum, quam ab ultima cauſa ſuſcitatam, ab inopia videlicet liquidi aquoſi in ſanguine, iſtam igitur examinemus, utrum ab organiſmo corporis, aut ab anima, aut ab alia cauſa corporea generetur, vel potius naturæ noſtræ, ſive expoſito antea deſiderio ſit adjudicanda?

53. Homo ſanus, diſſipato per corporis v. g. motum humore aquoſo, ſitit. Ad ſitim hanc exſtinguendam haurit aquam. Vix pervenit autem iſta in ventriculum, jam deleta eſt ſitis. Exſtincta ergo eſt ſitis, antequam ſanguis eſſet interum dilutus, & cauſa ſitis ablata. Quid videtur autem hoc ſignificare aliud, quam ſitim fuiſſe quidem ſuſcitatam propter defectum diluentis, non vero ab hoc ipſo. Siquidem perſeverante adhuc defectu aquæ in ſanguine eſt jam per potum deleta ſitis. Conſervatrix igitur illa corporis ſeu natura

juxta opinionem nostram concepta, est causa inducens bibendi instinctum, & induxit sitim, ut ea motus animus feratur ad ingerendum id, quo prior copia diluentis restitueretur.

54. Aqua dein est sitienti gratissima; exstincta vero siti, quamvis defectus diluentis in humoribus nondum esset resarcitus, fit illa prorsus insipida. unde, jam quæro, est velox hæc saporis mutatio? non utique ab aqua, quæ eundem semper linguæ imprimit saporem; non quoque a nervis linguæ, in quibus sensatio est semper eadem, neque per solum transitum aquæ per linquam, dum deglutitur, mutari potuit. Natura ergo est etiam causa mutati hujus saporis sensus, quæ videtur inferre suavitatem aquæ, quamdiu necessaria est ad conservationem sanitatis; & ex adverso hanc demere aquæ suavitudinem, suscitareque sensum satietatis, & postea nauseæ, postquam satis jam potatum est, qua uberiorem, noxium utpote, aquæ inhibeat potum.

55. Puella, acido laborans, vorat cretam, calcem, & similia absorbentia. Non ratiocinatio, sed ipse naturæ instinctus, (velut in gallinis, dum vegetantium semina in earum ingluvie in acidum degenerant, sicque in ceteris animalibus) est id, quod eam movet ad ingerendum absorbens: verum neque de acido, in ejus ventriculo existente opinari convenit, quod rem noscat sibi adversantem, absorbentia scilicet, &simul etiam quod virtute propria queat erigere instinctum assumendi ea, quæ acidum destruunt. Naturæ itaque, tanquam vitæ & sanitatis tutrici, salutaris hicce instinctus in acceptis est referendus.

56. Cum serio & diutius meditamur, calet caput, cruore turgens, frigentibus una pedibus. Humores feruntur ergo inter meditandum ad caput majori solito copia. Rogo iterum, quæ est causa majoris hujus determinationis humorum ad caput mechanica? ego, fateor, non unicam mente consequor. Anne anima, dum speculamur, attrahit humores ad encephalon? Natura proinde hic quoque, quia consumptos meditando spiritus continuata ista copiosi sanguinis determinatione sine intervallo reluere nititur, dicenda est hæc causa de-

ter-

terminans, disquiramus nunc causam celeritatis humorum in febribus.

57. Febris omnis initium sumit a frigore; istud excipit calor major minorque, qui continuat usque ad terminum morbi. Frigoris causam conjiciunt omnes medici in materiam crudam obstruentem, vel stimulantem & merito. At vero si causa frigoris est materies morbi cruda, hæc eadem caloris quoque subsequentis esse nequit. Causa enim una eademque in eodem corpore, non mutata, aucta, vel imminuta, nunquam oppositos potest excitare effectus. Cum igitur frigoris causa sit materies morbifica, eadem hæc ipsa caloris insequentis esse nequit. Natura proinde causa esse debet caloris, quo morbi materies percoquenda est.

58. Aegri, qui in febribus intermittentibus moriuntur, intereunt semper in stadio frigoris, & nunquam in ipso calore febrili, nisi ruptura vasorum, aut alia superveniat causa mortifera. frigus ergo est status morbi, calor autem non amplius morbi, sed naturæ medicatricis, crudum concoquentis.

59. Dum manus nivibus perfricamus, frigent istæ primum, paullo post calent multum: frigoris causam esse nives, nemo ambigit, at quis dicet, has ipsas sive relictum in manibus frigus esse causam caloris quoque? vix certe ullus. Quid igitur? organismusne vi non modica per constricta frigore vasa transpellens humores? verum nec id videtur. siquidem vis cordis, quæ in manibus tanta superare deberet obstacula, tantumve inducere calorem, foret magnitudine talis, qualis est in ipsis febribus inflammatoriis; vera ideoque addesse deberet febris, quam tamen nemo adhuc observavit. Si dein vasa manuum essent adeo, veluti existimatur, constricta frigore, non tanta posset contingere, quanta reipsa fit, in istis transpiratio. Natura proinde frigus, vasis manuum infixum, expellere tentans, adaucti hujus in his motus causa dicenda est.

60. Similiter ratiocinari fas esse, videtur, de febribus partis corporis singularis, dum nempe in ea solumodo celerior notatur arteriarum vibratio; neque reperi ullam apud authores causam hujusmodi febris.

61. Suffragantur huic ſententiæ, quantumvis minus aperte, Practicorum præcipui. *Surgit*, inquit Illuſtriſſimus p. m. L. B. van Swieten paſſim in commentariis, *vis vitæ*, *ſurgit molimen naturæ* poſt ſtadium videlicet frigoris, & ſimilia. Plurimi auctum hunc fluidorum motum ſeu febrim eſſe conamen naturæ, morbum ſubigentis, palam aſſerunt, & propterea etiam vetant in continuis, eum cortice peruviano & ſimilibus ſiſtere, immo, ſi lanqueat, ipſum magis incendendum eſſe, ajunt.

62. Diſtinquunt deinde ipſi mechanici Symptomata in morbis acutis in ſymptomata morbi, & ſymptomata naturæ: illa, dicunt, eſſe noxia; iſta vero, etſi forent vehementiſſima, ſalutaria ſive critica. Agnoſcunt ergo ipſi duplicem in acutis potentiam; diſtinquunt ergo ipſimet naturam ab organiſmo, ſejungendo videlicet effectus iſtius, per materiam morbi concitatos, ab effectibus, in eodem corpore & morbo natis, & per naturam curatricem motis.

63. His inſuper confitentur ipſi quoque, duplicis generis inſtinctus oriri in nobis ſæpenumero, veros ſcilicet, & ſpurios. Quid volunt autem per hanc diſtinctionem aliud, quam cauſam inſtinctuum priorum ſeu verorum eſſe diverſam a cauſa ſpuriarum? illorum nempe naturam; iſtorum vero organiſmum, ab alia cauſa conturbatum. Nunquam ſane, opinor, cauſæ ſymptomatum criticorum & inſtinctuum ſalubrium impoſuiſſent medici nomen peculiare & ab organiſmo diverſum, nomen utpote naturæ, ſi non eam ab organiſmo diſparem eſſe credidiſſent, quemadmodum ſupra de Phyſicis mentionem intulimus.

64. Dicet, haud dubito, mechanicus, per vim vitæ intelligendos eſſe ſpiritus nerveos, qui, poſtquam per ſpaſticas conſtrictiones in ſtadio frigoris diutius arctantur, & in ſuo progreſſu inhibentur, hujus conſtrictionis impatientes, erumpunt vi maxima, & ſunt ſubſequentis caloris cauſa, veluti aer reclusus, & multum preſſus erumpit data porta cum impetu maximo, eſtque ſingularium effectuum cauſa.

65. Con-

65. Confirmationem porro repetet ab eo, quod gradus caloris febrilis respondeat intensitati frigoris antegressi. Siquidem etiam aer tanto majori cum violentia ruit concesso exitu in apertum, quanto magis antea condensabatur, sive qualis est actio causæ prementis in aerem coercitum, talis est ejus reactio.

66. Quantumvis, respondeo, concesserimus, spiritus vitales esse maxime elasticos, & simul posse in suis nervis arctissime comprimi, & dein etiam cum vehementissimo impetu, victa frigore vasorum constrictione, agere in corpus universum, non possumus nihilominus abinde deducere febrim, siquidem effectus violentiæ istius foret tantummodo momentaneus, & non in septimanas continuatus; deberet præterea, superato obstaculo sive terminato frigore, esse maximus illico; & non pedetentim in dies increscere, velut increscit febris.

67. Reponet ad hæc, scio, mechanicus, materiem morbi per erumpentem vim vitæ, sive per spiritus vitales rapi simul in circulum humorum, sicque hoc modo causam febris, cor irritantem, aut, si infixa sit vasis ea inflammans, proritare suo stimulo cor, consentiens cum nervis affectis, ad frequentiorem sui contractionem.

68. Quum febris aucta non inflammatoria, respondeo, crescat quotidie usque fere ad diem indicem, aut saltem non minuatur, licet materies cruda in singulos dies plus semper conteratur a vasis organismi, amittatque idcirco jam ante diem indicem vim suam stimulantem, causa continuationis hujus febris non videtur esse crudum irritans, sed natura potius, quæ tamdiu conservat motum febrilem, fovetque calorem, quoad materies morbi concocta est.

69. Acceleratum deinde fluidorum circuitum in febre inflammatoria, ajunt aliqui mechanicorum, proverire ab obstructione finium arteriarum, & liquore a tergo urgente; alii vero a dolore partis inflammatæ, nervos exagitante. Ast neutrum horum videtur posse statui pro causa febris continuæ. Non primum: quia etiam post repetitas venæ sectiones, & depletis ceteris vasis continuat febris. In febri porro vulneraria

remittit impetus febrilis ſimul, atque ſupuratio peracta eſt, quamvis vaſa diſciſſa non magis, quam ante ſupurationem, transmittant liquores circulantes. Non poſtea alterum: quia obſervamus, corpus humanum in valido dolore frigere, & non calere, pulſumque eſſe potius contractum; quam fortem & magnum. Etſi dein etiam ſopiatur dolor per opiata, aliaque, pergit nihilominus febris, immo augetur inſuper non nunquam etiam.

70. Poſſem equidem quemadmodum cuivis patet cogitanti, plures ejusmodi ac pene innumeros recenſere effectus, inter organiſmi actiones reperiendos, qui ſe non ab ulla cauſa mechanica ſive corporea derivari concedunt, in aliam ideoque, in incorpoream nempe, qualis eſt natura noſtra, conferendos. Verum cum non pauci in ſequentibus, cumprimis in duobus proximis capitibus, unde repeti poſſunt, ſint adducendi, hic eis enumerandis ſuperſedeo, ſufficiatque interim attuliſſe tantos, per quos ſatis, ut puto, demonſtratum eſt, naturam eſſe potentiam diſtinctam ab organiſmo corporis, ſive explicatum antea, innatum nobis nos conſervandi deſiderium, vimque ejus eſſe non minus in functiones organiſmi; quam voluntatis: non minus elucere in morbis; quam in ſanitate.

71. Nimium a me dari unico deſiderio, inquiet, ſcio, aliquis, quod ipſi attribuam vim non in nervos tantum animales, ſed etiam in nervos organiſmi, adeoque in omnes prorſus totius corporis, immo ipſas quoque ſuccendendi febres acutiſſimas. His inſuper concedo, ait adverſarius, naturæ ſcientiam cognoſcendi morbum, eique adverſans remedium & cuncta ſapientiſſime, ordinatiſſimeque, quod ſoli ſpiritui ratiocinanti competit, diſponendi, & perficiendi.

72. Vim quidem, reſpondeo, tribuo unico ingeníto nobis deſiderio tantam, ut id & animam, & organiſmum ad actiones vehementiſſimas concitare ſæpiſſime, immo compellere dixerim. At vero ſi in conſiderationem ducimus majus aliquod, quodcunque demum id fuerit, excitatum in nobis deſiderium, nonne videmus, id pollere vi maxima, ipſamque animam, etſi

etsi reniteretur, cogi in sui obsequium? appetat impatiens mulier aliquid avidius: quos, quæso, non sentit ea in corpore suo motus? quas non in animo turbas?

73. Ad vim istam magis declarandam non incongruens fore opinor, hominem, alio quopiam desiderio ferventem, accersere pro exemplo. Anhelet v. g. juvenis, magno itineris & multo temporis spatio chara domo remotus, reditum ad genitores. Notamus. *1mo* Eum esse tristem, inquietum, solicitum, coctiones pariter in ipso languere, somnum, universumque fluidorum esse vitiatum circulum. *2do* absque fere remissione hoc in patriam redeundi moveri desiderio, & *3tio* compelli, nolentem etiam, ad arripienda ea, quibus sibi reditum comparare posset, recrearique *4to* omnibus iis, per quæ voto suo potiri posset; & e converso. *5to.* Multum affligi omni eo, quod redeundi est ipsi impedimento. *6to* posteaquam pervenit ad parentes, summa perfundi lætitia, animoque ejus & corpori simul pristinas revertere vires & ordinem. *7mo* demum, obtento suo fine, cessare penitus, quo multum antea torquebatur; redeundi desiderio, esseque ingrata jam omnia, quæ ante iter, & in hoc ipso erant gratissima. En quid ardens valeat in nobis desiderium. Si ista ad naturæ agentis conatus & instinctus in morbis, cumprimis in acutis, applicamus, deprehendimus simillima.

74. De ordinatissimo deinde, quem natura servat in suis actionibus, ordine id adferre licet, quod nempe cujusvis animalis, tam rationalis, quam irrationalis corpori, aut, si mavis, nervis ejus sint certæ leges a suprema rerum providentia impressæ, secundum quas operari debet organismus aut animus, dum compellitur ad actiones a natura. Leges porro istas esse juxta genera animalium, juxtaque diversitatem sexus ita distributas, ut ejusdem generis & sexus animalia æquales, dum ad eas determinantur a natura, exerant actiones, similesque ponant effectus, idcirco (quodvis avium genus æquales ubique regnorum & in annos singulos conformant nidos; cati ubivis locorum eandem

adhibent ad mures fallendos artem, & ſic de aliis. Puer ad viriles ſemper, & puella ad muliebres, ut aimus, incitatur per naturam actiones.

75. Legum iſtarum impreſſio poteſt aſſimilari impreſſioni, quam v. g. fidicen in nervis manuum ſuarum habere videtur per exercitium hujus cantus partam, aut puer in nervis linguæ, & ad eam pertinentibus muſculis, qui ſermonem aliquem longiorem memoriæ ſuæ mandatum tenet. Vix enim adeſt voluntas canendi fidibus, jam digiti moventur ordinatiſſime, recitatque puer perceptum ſermonem rito ordine, quamvis haud intelligat ea, quæ profert. Secundum pari modo inſtitutas leges edit quodvis volucrum genus cantum ſibi proprium, dum ad eum a natura concitatur.

76. Omnibus iſtis in animadverſionem vocatis patere, arbitror, cur effectus naturæ ſint vehementiſſimi? cur iſta poſſit & animum & organiſmum cogere ad agendum? cur bonum ſemper ſpectet finem? cur animum, & organiſmum, in actionibus conſtitutos, regat ordinate, quamvis non eſſet judicandi facultate prædita? Patet item, æquum nos facturos, ſi naturam hanc dixerimus eſſe unicum generale, ſingulis nobis innatum nos noſtrumque genus conſervandi, idque multiplicandi deſiderium, a quo ſingularia, quæ inſtinctus appellamus, ſuſcitantur in nobis, dum aut actio quædam aut res, ad dictam conſervationem & multiplicationem neceſſaria, eſt perficienda vel expetenda.

77. Verum enim vero, quantumvis actiones naturæ ab ingenito nobis nos conſervandi deſiderio, tanquam a cauſa ſe ſatis apte deduci patiantur, manent nihiloſecius maximæ, non abnuo, difficultates reſolvendæ, veluti ſunt, dum quærimus, unde natura ſive commemoratum deſiderium advertat defectum cujuslibet liquoris in corpore? unde cognoſcat indolem noxii v. g. acidi exiſtentis in ventriculo? Quomodo poſſit ſuſcitare inſtinctus rerum ſalubrium, & potum ſitienti reddere gratum? quomodo inducere ſenſum ſatietatis, & adverſionem a noxiis? quibus viribus neonatum animal docere lac ſugendi modum? quomodo vul-

vulpibus, catis & reliquis hujuscemodi beſtiis inſpirare artem fallendi animalia minora, quæ ipſis in eſcam venire debent? quomodo ſuccendere & conſervare febrim? & ſimilia plura.

78. Hæc fateor, & quæ ſunt ejusmodi, tantopere perſpicacitati ingenii humani eſſe ſubducta, ut ad ea haud ullis ratiocinandi viribus pervenire valeamus. Verum quot & quanta non ſunt ea, quæ deprehendimus in nobismet ipſis, non unquam, quia ita revera obſarvamus, neganda, tametſi nunquam ad eorum cognitionem, qui fiant, pervenire valeamus? Sic admittere cogimur, animam noſtram, quamvis verus ſit ſpiritus, corpore humano ſeptam teneri; cum ipſo intime eſſe conjunctam; ejus ſentire affectiones; in id habere vim plenam; muſculos ſuos, eorumve fibras quaſi ſeorſum ad arbitrium conſtringere; item cor cujusvis animalis eſſe adeo irritabile, ut exſciſſum e corpore vivo ſe conſtringat, quemadmodum Verulamius teſtatur de corde humano; (Hiſtor. vitæ & mortis p. 559.) & quilibet videre poteſt in corde piſcis cujuscunque vivi a corpore ſeparato, & acu puncto. Iſta & plurima hujusmodi ea ſane ſunt, quæ, niſi eſſent apertiſſima, nequaquam admitti poſſent.

79. At vero non exiſtere ſolum aliquid in corpore animato, quod ſaluberrimarum rerum & actionum ſuſcitat inſtinctus; quod ad ſapientiſſimos quodvis animal determinat, & compellit actus ſuſcipiendos; quodve iſtius admirando prorſus modo regit actiones, & ſic porro, credere adigimur: ſed, (quantumvis omne excedat mentis humanæ acumen) inſuper etiam in quolibet omnino ineſſe animali, tam rationali, quam irrationali aliquid, quod curam quaſi habet vitæ & ſanitatis corporis ſui, obſervationes & exempla demonſtrare, ac perhibere videntur.

80. Curam iſtam (multum, fateor, dictu) ex miris hucusque recenſitis naturæ actionibus & effectibus ſatis aperte deduci poſſe, cenſeo, & ſi hucusque recenſiti non ſufficiunt ad id demonſtrandum, fiet, opinor, vis hæc ſingularis, vitam animatam procurans tanto adhuc clarior, quanto plures illius motus &

actio-

actiones expenderimus, eorumve finem optimum, in quem omnes semper diriguntur, contemplati fuerimus. Profecto! nisi natura (aut quocunque id velis compellare nomine) curam gereret pullorum avium, caveretque, ne isti excrementis nidos inquinent, vix ullus unquam permaneret superstes: nisi natura curæ haberet sui, quod incolit, corporis salutem, non suscitaret aversionem a noxiis, non timorem mortis: nisi pariter maximum inspiraret matribus amorem ad suam sobolem, non unquam suppeditarent earum vires tot tantisque perferendis laboribus, curis, & vigiliis.

81. Haud mirum proinde, quod omnes prorsus Medici, qui excelluere in medendo, tantis naturam extulerint laudibus, tantopereve ipsam commendaverint junioribus practicis observandam, & imitandam, dixerintque, eam esse sapientissimam & solicitam vitæ conservatricem, actionum directricem, perditorum instauratricem, & optimam morborum medicatricem, atque illum tantummodo verum esse medicum, qui se potentissimæ huic curatrici fidelem præstiterit servulum.

82. Dicet forsitan quispiam, inane prorsus esse, & ad praxim inutile, immo noxium potuis, ac medentis ingenium conturbans, tanta referre, & disceptare super natura. Quandoquidem celebres, inquit, exstitere plures, existuntque Practici, quibus, dum ægrorum examinant conditionem, ne quidem nomen naturæ venit in mentem. Habet istorum unusquisque, (continuat) certam suam medicandi methodum, habet sua adversus quoslibet morbos remedia, quorum ope, dirigente judicio medico, morbis feliciter medetur.

83. Fuerunt, nullus abnego, sunt hodie quoque non pauci majoris existimationis medici, qui methodum exercent symptomaticam; qui specificam, sive qui ad remedia specifica in quibusvis pene morbis descendunt; qui a similitudine alterius ejusdem nominis morbo curato petitam; & sunt, qui ex his compositam quasi colunt medicationem. Omnes harum methodorum fautores ipso nomine naturæ carere possunt. Verum, si in considerationem ducimus, 1*mo.* symptomata mitigare

re non esse morbum curare, imprimis si torpeat natura; 2*do.* symptomata in morbis esse sæpenumero salutaria, non ideoque supprimenda. 3*tio.* remedia specifica ibi tantummodo vim habere utilem, ubi materies morbi ea est, cui recte oppositum est remedium specificum; non vero, si morbi causa alius fuerit indolis. 4*to.* multos morbos non remittere, nisi ipsa morborum causa fuerit deleta per medicamina; 5to. eandem causam morbificam, acre v. g. celticum, scorbuticum, podagricum &c. omnis prorsus generis morbos suscitare posse suscitareque; ideoque 6to. ejusdem nominis morbum a pluribus distinctisque indole causis posse generari; & 7*mo.* in allatis medicandi normis anatomen, physiologiam, ceterasque omnes scientias medicas fore prorsus supervacaneas, sine quibus tamen medicus, qui vitiati corporis reparator esse debet, non clarius dispiceret labem corpori inustam, nonque doctius istam reficere sciret, quam artifex v. g. horologium, qui hujusmodi machinam haud unquam viderat antea. Hinc 8*vo.* necessariam esse in pluribus morbis, ne dicam in omnibus agnitionem causæ morbificæ; atque 9*no* ad hanc nos nunquam perventuros absque cognitione naturæ; & denique 10*mo* non sine urgentissimis rationibus omnes omnino authores Practicos maximopere commendasse imitationem naturæ operantis. & similia: liquido patere arbitror, non inutile solum esse, reminisci operantem naturam in ægrotis, sed etiam prorsus necessarium: non proinde non inane tantummodo de ea egisse, sed & conveniens maxime.

84. Instabit forsitan oppugnator dicturus: Tametsi necessaria admittatur naturæ in morbis observatio & imitatio, non refert nihilominus tamen, scire, quid id sit, cui naturæ nomen imponimus? Esto, nominetur natura Archæus, Spiritus peculiaris, Anima ipsa, Mechanismus unicus, aut innatum nos conservandi Desiderium: satis est nosse, causam quampiam singularem existere in nobis, quam Naturam appellamus, singulares & utilissimas suscitantem actiones, acurate observandam, & studiose imitandam.

85. Non est, repono, Authorum unus, qui non suam referret, si non fusius, certe strictim, de naturæ indole conceptam opinionem. Quin imo nec ullum medicorum esse posse, judico, ut, dum audit, naturam esse optimam morborum medicatricem, non aliquam de ea sibi formaret ideam. Si ipsam dein varietatem medentium, qui naturæ auscultant, intuemur, deprehendimus illico, eam provenire a disparitate idearum, quas hi assumpserunt de naturæ humanæ indole. Abinde enim est, quod Helmontiani in febribus venæsectionem, corticem peruvianum, & similia, febrim supprimentia damnent; ex adverso autem ea ipsa ordinent medici illi, qui naturam nihil diversum a mechanismo esse asserunt, & sic porro. Necessaria est proinde ipsius naturæ humanæ indolis investigatio. Verum id clarescet magis adhuc in sequentibus.



CA-

CAPUT SECUNDUM
DE
MOTIBUS ET INSTINCTIBUS
NATURAE HUMANAE.

86 De his speciatim agere convenit.
87 Effectus naturæ sunt effectus expositi supra desiderii.
88 Coctiones &c. itaque, quamdiu vocantur naturales, non sunt a natura, sed ab organismo.
89 Hinc debent nominari præternaturales.
90 Ex adverso autem instinctus sunt ii a natura, qui dicuntur naturales.
91 Juxta designatum antea finem triplicem
92 Examinemus effectus naturæ.
93 Quidam eorum diriguntur in conservationem vitæ,
94 Uti est appetitus in cibos,
95 Svavis item eorum sapor,
96 Qui non est a cibo ipso.
97 Sensus porro satietatis,
98 Et appetitiones rerum singularium,
99 Non minus cupiditates exequendi actiones, queis vita conservanda est,
100 Ac eas, quæ sunt juxta consuetudinem,
101 Atque quibus vitam retinere molimur, dum in vitæ versamur discrimine.
102 Effectus deinde, queis malum imminens antevertitur, sunt quoque a natura,
103 Appetitiones porro etiam rerum, quibus malum præsens infringendum est,
104 Atque actiones, quibus istud removetur,
105 Variique in corpore motus,
106 Febrilis nempe, quo crudum est percoquendum,
107 Humorum quoque determinationes,

108

CAPUT SECUNDUM.

DE EFFECTIBUS NATURÆ HUMANÆ.

86. Quantumvis effectus naturæ humanæ ex expoſita ejus indole facile cognoſci queant, juvabit nihiloſecius, eos ſeparatim pertractare. Quandoquidem & clarior adhuc per hoc fiet naturæ idea, & ſimul patebit, quospiam inſtinctus & effectus, quos ſymptomata vocamus in ægris, eſſe producta naturæ, & alios aliarum cauſarum: illa utilia, adeoque conſervanda; iſta vero noxia, quocirca illico ſuprimenda. Quanti interſit medentis, ea rite diſtinquere? neminem latere poteſt. At ſi ſymptomata quæpiam in morbis ſunt a natura, pertractatio iſta eſt ad rem vel ideo etiam, cum ſit præter mentem tum Helmontianorum, tum quoque medicorum mechanicorum. Iſti enim negant effectus naturæ in morbis acutis, quamdiu adeſt cruditas; illi autem effectus omnes & ſymptomata in quolibet morbi ſtadio in naturam conjiciunt.

87. Ideam naturæ humanæ conſtituimus in idea deſiderii vehementis nobis ingeniti, nosmetipſos noſtrumque genus conſervandi, iſtudque ſimul numero adaugendi Diximus eapropter, illos tantummodo effectus, motus, & inſtinctus, qui ab hoc deſiderio generantur, eſſe producta naturæ.

88. Coctiones itaque, ſecretiones, excretiones, nutritiones, ac reliqui effectus organiſmi, quos Medici omnes a natura derivant, quantumvis ad vitæ conſervationem ſpectent, non ſunt, noſtra ſententia,

quamdiu moderata, five, ut vulgo loquimur, naturalia dicuntur, effectus naturæ, fed folius, veluti in plantis, mechanicæ corporis noftri fabricæ feu organifmi, quia ab hoc unico, ut caufa, proficifcuntur, & non a fupradicto defiderio.

89. Motus igitur humorum, coctiones, ceterique fponte nati effectus, dum funt a natura concitati, non funt amplius tales, quales vocamus naturales five fecundum naturam, fed jam præternaturales, aut fcilicet majores prioribus, aut minores, aut fuo modo difcrepantes, adeoque tales, qui non amplius a folo pacato organifmo, fed ab eo per alienam jam caufam mutato, proveniunt.

90. Appetitiones autem rerum, & inftinctus, quia non unicus eft ab ipfo organifmo, funt quilibet producta naturæ ii, quos naturales dicimus: aliarum vero caufarum effectus funt illi, quos præter naturam effe, aimus, ut appetitus in cibum, qui vocatur naturalis, eft a natura noftra; præternaturalis autem ab alia caufa.

91. Effectus quivis, motus, & inftinctus, quos natura fufcitat in corpore tum fano, tum morbofo, excitat ipfos in aliquem femper finem ex triplici fupra commemorato, vel fcilicet in tutelam vitæ, & fanitatis ejus, cujus natura eft; vel in confervationem gentis humanæ univerfæ; vel denique in multiplicationem iftius.

92. Finis ifte triplex, quem natura contuetur in fingulis fuis actionibus, optimum nobis præbet ordinem in enarrandis iftius effectibus obfervandum. Tribus eos proinde claffibus complectemur omnes hic recenfendos.

93. Effectus naturæ ad primam claffem, ad confervationem utpote vitæ & fanitatis proprii fui corporis pertinentes funt 1*mo* omnes appetitiones (a) rerum, (b) actionum, atque ipfæ (c) actiones, quibus defectus humoris, ad fanitatem neceffarii, reparandus eft, 2*do* omnes actiones, queis malum corporeum, quod vitæ minatur periculum, antevertitur, 3*tio* quislibet inftinctus (d) animi, ejusque (e), & organifmi (f) mo-

motus, quo malum in corpore præsens, vel istud extrinsecus lædens, abigendum est. Quævis dein 4to actiones, & motus, qui in auxilium languentis excitantur organismi, 5to demum aversiones (g) rerum, & (h) actionum noxiarum.

94. Inter appetitiones rerum ad tuendam vitam necessariarum (§. 93. a) præcipuæ sunt desideria cibi & potus. Fames itaque vera sive ea, quam natura movet, similiter & sitis, cum omnibus comitantibus symptomatibus, uti tristitia, inquietudine, sensu gravitatis corporis &c. sunt effectus naturæ, quemadmodum alibi fusius demonstratum est.

95. Inter comedendum sentit famelicus maximam cibi suavitatem, & potus inter bibendum sitiens. Gratissimus hic sensus, ab ingestis impressus in linguæ papillas, videtur etiam naturæ magis esse effectus, quam cibi aut potus. Sed de isto quoque jam antea disseruimus.

96. Si quis tamen diceret, nutrientium sensum ideo videri famelico gratum ad initium ingestionis, quia omnes molesti famis effectus delentur per cibum, sicuti atroci dolore affectus maximopere recreatur per assumptum opium, quia dolores per hoc leniuntur; responderem, licet opium, auferendo dolores sævientes, corpus, animumque reficiat illico, recreetque, non imprimere tamen linguæ, dum per eam transit, saporem jucundum, qualem cibus infert.

97. Remittentibus inter edendum, & potandum famis & sitis molestiis, recedenteque pedetentim saporis ingestorum suavitate, surgit sensus alter, quem sacietatem nominamus. Sensus videlicet significans, satis jam esse ingestum: istum quoque naturæ sobolem esse, evicimus antea.

98. Alimentis succedunt res, quæ sunt in consuetudine: Sunt enim istæ consuetis sæpius ad sanitatis conservationem prorsus necessariæ, appetitiones proinde rerum consuetarum cum omnibus injuriis, quæ ob inopiam ejusmodi rerum insurgunt, sunt naturæ adscribendi.

99. Cupiditas dein actionum (§. 93. b) est naturæ productum. omnis illa, qua movemur ad agendum id, per quod res ad conservandam vitam utilis, est obtinenda. Sic dum admodum sitiens videt potum, tanta sæpe fertur aviditate in eum arripiendum, ut se ab eo vix cohibere valeat.

100. Agendi pariter instinctus a natura concitatus, est etiam desiderium exequendi opus, quod est in consuetudine, quando adest hora, qua hæc actio prius perficiebatur in singulos dies. talis instinctus est cupiditas ludendi, corpus movendi &c. appropinquante tempore, quo quibusvis diebus ludebatur, corpus exercebatur &c.

101. Actiones vero ipsæ (§. 93. c) quibus vita servatur, & naturæ effectus dici merentur, sunt omnes illæ, quas in discrimine vitæ existentes impendimus ad hanc retinendam. Omnes nempe, ad quas nos metus mortis, aut alius mali, quod periculum læsionis minatur corpori, adigit arripiendas. Naturæ pariter actiones sunt, ad quas per consuetudinem incitamur perficiendas.

102. Diversissimæ sunt etiam actiones (§. 93. 2do) naturæ, animum ad eas compellentis, quando ista malum imminens antevertere molitur. Siquidem malum hujuscemodi est numero infinitum, unumquodque suo modo antevertendum. Quidquid enim corpus nostrum lædere potest, malum est. Cunctæ itaque actiones, quibus impetus ejusmodi mali eliditur, naturæ sunt, etsi ab anima essent positæ. Ut dum irruenti in caput v. g. lapidi manum objicimus, caputque retrahimus.

103. Appetitiones rerum, quas natura concitat, quando noxium præsens (§. 93. d), & corpus ingrate afficiens tollere conatur, sunt, ob maximam similium noxiorum varietatem, numerosissimæ. Res, in quas sumendas fertur animus, sunt potissimum tales, quæ noxium corrigunt. ideo tempore æstatis; in febre ardente, vel putrida, in qua humores inquilini nutant in putredinem, appetimus acescentia; e contrario autem puella, quæ acido laborat, incitatur a natura ad voranda absorbentia, & sic de aliis.

104.

104. Actiones, ad quas natura per musculos animales ad removendum (§. 93. e) præsens malum compellit animam, sunt pariter non numero comprehendendæ. Si musca v. g. pungat partem corporis nostri, multi sunt musculi brachii, qui ad actionem rapiuntur, qua musca fugenda est. Dum acu v. g. pes pungitur, omnes istius musculi agere debent, quibus pes punctus retrahitur &c. actiones istas non animæ, sed naturæ esse, vidimus antea.

105. Motus, quos natura erigit in organismo, ut sufferat malum præsens (§. 93. f.), sunt aut febriles, aut copiosorum humorum determinationes ad partem corporis, quam noxium vellicat, ut istud immutaret, infringeret, removeret, si extrinsecus rodat, aut exterminaret e corpore, si sit in hoc ipso.

106. Febrilem humorum motum tum in acutis continuis, cum etiam in intermittentibus, atque in febribus partis corporis singularis, quod esset succensus propter malum morbificum, celeriori motu dissolvendum, & non a malo ipso irritante, vel obstruente, esse effectum naturæ, constat ex supra relatis.

107. Quando vesicans, cuti humanæ applicitum, eam rodit, accurrunt humores serosi, epidermidem in vesicam attollentes. concursus iste humorum non est attribuendus acri vesicantis, tanquam causæ attrahenti, quia eosdem attraheret in cadavere quoque; sed neque organismo: nullæ enim inveniri possunt leges hydrostaticæ, per quas hæc seri collectio fieri deberet. Natura ergo, quæ per determinationem humorum ad partem irritatam vult acre diluere, inviscare, & a corpore, interponendo humores inquilinos inter vesicans & cutem nervosam, removere, est causa hujus humorum concursus in parte, quam arrodit vesicans.

108. Dicet forte aliquis, non alia mente adhiberi a Medicis vesicantia, quam ut acre sanguini admixtum, aut parti cuipiam infixum, extrahant, & de parte affecta revellant. Exploratum est quoque, subjunget, deliria ab acri genita, doloresque rheumaticos protinus, ac attrahit humores emplastrum vesicans, remitte-

re sæpenumero. videtur itaque istud extrahere acrimoniam una cum fluidis corporis nostri.

109. Humores, respondeo, veficæ esse omni acrimonia vacuos, conjici exinde potest, quod substratum textum nervosum, admodum sensile, ne minimum quidem afficiunt. Quomodo autem vesicans imminuat, & sufferat dolores? non & hujus loci exponere. Si vero cuidam hæc naturæ actio supra verisimilitudinem mira videtur, is expendat vim naturæ determinantis sanguinem ad caput, dum acute meditamur.

110 Excretiones quamplurimas esse effectus naturæ, & non solius organismi, docent partim nunc expositæ liquorum determinationes, partim crises in acutis, aliæque in aliis morbis evacuationes salutares, ac omnino miræ. Quantumvis enim copiosæ sæpe instituantur sanguinis detractiones in acutis, aut retento fluxu menstruo, paucæ nihilominus solum cruoris guttæ e naribus stillantes sunt, quæ judicant morbum; cruor dein æque tantummodo ille modicus, qui per cantum oculi, per nares, pulmones, renes, ruptam in genu cutem, &c ejectus visus est, sustulit morbos, a retento hoc fluxu muliebri causatos. Ejectiones itaque istas & similes alias singulares vel ideo solum sapienti naturæ medicatrici esse attribuendas, opinor, quod per disrupta vasa corporis sanguifera non expellatur humor alius, præterquam noxius.

111. Motus & actiones, quibus organismus, dum ejus non sufficiunt vires (§. 93. 4to) servandæ aliquando vitæ, aut exstirpando noxio, adjuvatur, sunt quoque multæ, miræ, & dificilius aliquando dignoscendæ; Harum aliquæ sunt sequentes.

112. Dum plus solito ingessimus inter prandendum aut coenandum, sentimus jam in ipso digestionis exordio calorem totius corporis, imprimis vero circa regionem ventriculi. Causam caloris seu aucti hujus fluidorum per omnia corporis vasa motus non iniquius conferemus, existimo, in naturam, corporis adjutricem; quam eidem febrilem antea adscripserimus.

113.

113, Volunt quidem mechanici, eum esse a fermentatione, vel putrescentia ingestorum: verum increscit calor iste multo citius, quam incipiat alias putrescentia; observaturque citius, quam signum ullum putrescentiæ. Hinc est calor iste auctus causa potius putrescentiæ ingestorum; quam effectus.

114. Quemadmodum incitat natura avim caveæ inclusam, & cibis saturatam ad cantandum, ut per motum ejus musculorum sub cantu agentium succenderet calorem, quo digestio assumptorum promoveretur: ita naturæ in acceptis referendum est auxilium illud infantis bene pasti ventriculo allatum, dum videmus, eum pedibus insistentem exagitare omnia corpusculi sui membra, saltare quasi, & in jucundum interdum simul clamorem erumpere.

115. Naturæ, tanquam auxiliatricis, dum languet organismus, actionibus adnumerandus est appulsus etiam humorum copiosorum ad caput, cum major sit per intensas meditationes spirituum in cerebro consumptio, ad continuandum studium necessariorum, quam organismus pauco suo sanguine continenter reluere nequiret. vires item suas debet plurimum naturæ mater, prolium suarum curam gerens. nisi enim amor summus, quem natura ei sine intermissione inspirat ad prolem, promovendo humorum motum, coctiones & secretiones, constanter resarciret vires amissas, istæ nunquam sufficerent perferendis curis & laboribus, quos mater impendit, diurnis nocturnisque.

116. Tam subitaneas in melius observamus sæpenumero mutationes in ægrotis gravi cum morbo conflictantibus, ut eas multum mirari debeamus, idve præprimis ideo, quod ipsas non ex solis organismi viribus provenisse perspiciamus. Cum autem istæ ad alteram magis pertineant operis partem, sufficiat earum hic, quum sint naturæ adjutricis effectus, solum meminisse.

117. Postremo primæ classis (§. 93. g) naturæ effectuum numero comprehendo aversiones rerum & actionum. Hujusmodi aversio est nausea, quæ satietatem cibi & potus excipit, & per quam natura nos monet, ut

desistamus ab edendo, cogitque ab eo desistere per id, quod gratissimum antea, quamdiu videlicet utilis fuerat, cibi saporem convertit, postquam jam inutilis ac noxius evasit, in ingratum & nauseosum.

118. Similes rerum aversiones sunt, dum exæstuante in nobis sanguine abominamur alcalescentia, aeremque calidum, effluviis animalium refertum &c. item dum senex, aliusque temperie frigidus respuit fructus horhæos &c. Aversiones istas ab ipsa natura tutrice tanto æquius derivare licet, quanto est evidentius, res istas officere istorum valetudini.

119. Actionum (§. 93 h) aversiones sunt effectus naturæ omnes illæ, quæ vitæ aut sanitatis periclitantis metum nobis objiciunt: retinetur meticulosa mulier a progressu inter ambulandum, dum pervenit ad locum, in quo exposita esset casui periculoso, si progrederetur.

120. Effectus naturæ, in conservationem gentis humanæ destinati, ad duos generales, ex quibus, velut e fonte, promanant alii infiniti, sunt reducendi. Ad amorem videlicet, quo genitores suam complectuntur progeniem; & ad dilectionem, qua hominum alter fertur ad alterum, animal quodvis ad sibi simile.

121 Amorem parentum ad sobolem esse a natura comprobant ipsa animalia ratione destituta. Quod autem interdum genitores prolem unam plus ceteris ament, non naturæ, sed aut illecebris, quibus hæc suos demulcet parentes, aut aliis causis est adscribendum.

122. Instinctu naturæ diligi hominem ab homine, animal a sibi æquali, communis fert sententia: dolet quisque instinctu naturæ, moveturque ad ferendum auxilium etiam ignotissimo, dum eum videt in summo vitæ discrimine constitutum, aquis v. g. mergi, vel a fera rabida teneri &c. odium itaque, invidia, dominandi super alios cupiditas, & quæquæ dilectionis instinctui adversantur, sunt vitia non naturæ, sed mentis humanæ, diverso modo parta.

123 Haud completum foret ingenitum nobis desiderium, in quantum spectat ad tutelam gentis universæ, si natura non inderet simul singulis hominum amplian-

pliandi numerum ſibi ſimilium. Inſtinctus iſte complectitur deſiderium ineundi ſocietatem cum homine ſexus diſparis, & cupiditatem prolium.

124. Ingeneratum ſingulis utriusque ſexus hominibus eſſe deſiderium ineundi ſocietatem cum homine ſexus alieni, demonſtrat homo adhucdum puer. Siquidem is in tenera jam ætate delectatur conſortio puellæ; & hæc viciſſim pueri. Vir dein ocyus flectitur precibus mulieris, quam viri. Mulier quoque tenacis ingenii ſi cujuspiam ratiociniis præbuerit aures, præbebit viro, & raro mulieri: ſi poſtea amorem mutuum expendamus inter homines, nunquam comperimus eum inter duos ejusdem ſexus homines in tantum conſcendiſſe vigorem, in quo non raro exiſtit inter duos ſexus diſparis.

125. Sunt quidem aliqui, in utroque ſexu reperiendi, qui matrimonii aſpernantur vinculum: ſunt viri, quibus nihil moleſtius, quam longum tempus terere cum muliere. Verum hæc non ſunt naturæ, quemadmodum nos eam nobis ob oculos ſiſtimus; ſed aut vitiato organiſmo, aut educationi, vel ſuſceptæ vivendi normæ, literarum, & ſapientiæ amori, ac ſimili cuidam cauſæ attribuenda.

126. Prolium cupiditatem nobis inditam eſſe a natura, ſcimus plurium matrimonio junctorum teſtimonio. Vix enim ſunt aliqui per aliquot annos in matrimonio conſtituti, qui proles non cuperent. Elucet id autem maxime in divitibus ſobole deſtitutis, quibus vel ideo minus jucundæ ſunt opes, quod herede carent. Quis eſt deinde, cui gaudio non eſſet ſoboles, dum cogitat, eam ex ſe genitam eſſe?

127. Si ad ſexus differentiam convertimus oculos, videmus, puellæ jam in teneriori ætate infantem recenter natum voluptati eſſe maximæ, linteisque ad iſtius formam colligatis multum oblectari, atque etiam adultam quamlibet virginem & mulierem voluptatem capere ex alterius progenie. Cuncta iſta innatum nobis eſſe, majus mulieribus, minus viris, ſobolis deſiderium comprobant.

128. Effectus naturæ, quia ſpectant ſemper finem bonum & ſalubrem, ſunt omnes ſalutares. Inſtinctibus proinde ipſius, niſi quid vetet, eſt obtemperandum, actiones quoque ejusdem & motus, niſi ratio contrarium ſuadeat, ſunt fovendi, & haudquaquam, in ipſa etiam morbi cruditate, conturbandi, ſed potius, ſi opus, promovendi, quemadmodum Pathologia loquitur de ſymptomatibus & motibus criticis.

129. Contra id, quod inſtinctibus naturæ ſit ſemper obtemperandum, inquiet, ſcio, nemo unus, inſtinctus naturæ & motus eſſe ſæpenumero adeo pernicioſos, ut, ſi illis morem geramus, aut motus ejus promoveamus, corpus ſimus peſſumdaturi. non eſt ergo, concludit, finis operantis naturæ ſemper bonus, ſemper utilis. Objectiones erunt fortaſſis in hanc ſententiam.

130. 1*ma*: Fami majori, quam quislibet non minus, atque famem mediocrem, a natura progredi ſtatuit, indulgere, ac eam ſedare velle, nihil eſſe magis exitioſum, palam eſt. Quis eſt deinde, qui non pluries obſervaſſet, eos, qui multum calentes a motu, deſiderio ſuo potus ſatisfecere, per hauſtum gelidæ in lethales inciderint inflammationes.

131. 2*da*: Vix ſurgit mane e lecto potator, jam ſitit, jam vinum, quia ſecus tremet toto corpore, ingerere cogitur. Sitis iſta, veluti quævis altera, eſt naturæ adſcribenda. Quis eſt autem hic quoque, qui ignoraret, ſtimulum iſtum bibendi eſſe vere noxium, atque potatorem tanto citius ſe perditurum, quanto plus petenti naturæ morem geſſerit, minusque bibendi reſtiterit inſtinctui?

132. 3*tia*: Omnis rerum acrium uſus, in conſuetudinem deductus, eſt, nemine obſtante, reprobandus, cum deſtruat ſolidorum conditionem, funditusque pedetentim evertat functiones organiſmi. Nam, qui aſſuetus eſt fumo v. g. nicocianæ, languet ſine eo ventriculus, ineptus ad digerendum; ſimiliter, qui aromata, ſpirituoſa, & alia acria in ſumendi habent conſuetudine.

133.

133. 4*ta*: Si febrilem humorum motum a natura accersimus, arguimus eam actionis, quæ multa hominum jam perdidit millia, perditque in dies. Si admodum debilem, hemophtysicum, scorbuticum &c. prehendat febris acuta intensior, erit ista mortis causa. Omnis præterea febris major conterit vasa corporis. Natura ergo accendit sæpius febrim non in salutem hominis, sed potius in ejus interitum.

134. 5*ta*. Conscendit interdum etiam febris in tantum vehementiæ gradum, ex quo neque per repetitas sanguinis missiones, neque per copiosissima refrigerantia & motum reprimentia se amplius deturbari sinit, corpusque penitus consumit. Quantumvis igitur alias febrilis humorum motus esset ad subigendum morbum necessarius existimandus, non erit is certe salutaris, dum in dictum intensitatis gradum evehitur.

135. 6*ta*. Quam demum indecora, quamve honestati, & sanæ rationi adversantia sunt ea, ad quæ utriusque sexus homo, imprimis junior, pellicitur a natura! Quanta non frequenter exoriretur inter mortales confusio, si cuivis liceret indulgere impulsui naturæ! Parentes, qui amori suo in proles non totis resistunt viribus, pessimam eis, & non amplius mutabilem, omnia ipsis concedendo, tribuunt vivendi normam.

136. Ad objectionem primam respondeo: Sicuti famem maximam a natura esse, asserendum est; ita nemo negabit, hanc esse penitus delendam; ast non illico, sed leniter, tanta videlicet sensim propinando, quantis subigendis sufficiunt exantlatæ famelici vires digerentes. Erigit ergo natura appetitum in cibos validissimum ideo solum, ut animo notam redderet magnitudinem defectus nutrimentorum; non vero, ut peteret ab anima, istum sine mora esse plene resarciendum.

137. Ad secundam deinde: Tametsi potus vini matutinus sit noxius, & corpus potatoris in dies plus enervet, est tamen adeo necessarius, ut homo absque eo iners sit ad actiones. Assumat itaque potator quibusvis diebus vinum, quia natura id deposcit; verum studiat imminuta quotidie istius quantitate pri-

ſtinum pedetentim vaſis reſtituere robur. Paribus argumentis reſolvitur objectio tertia.

138. Ad quartam dico, febrim acutam non ſuſcitari a natura ad tollendum ſcorbutum, vel ad conſolidandum ulcus pectoris, aut ad debile roborandum corpus, &c. ſed ad coquendam materiem morbi, recenter in corpore natam. Igitur ſi febris deſtruit corpus ægroti, non contingit id vitio naturæ, ſed organiſmi male conſtituti.

139. Similis fere eſt reſponſio ad objectionem quintam Qualis videlicet eſt materies, quæ morbum inducit, talis debet quoque eſſe vis adverſa, cum ea decertans ac ipſam ſubigens. Si proinde illa fuerit copioſa, vel tenax nimis; motus pariter febrilis vehemens ſit, eſt neceſſe. Cum autem natura advertat, motum humorum ad diſſolvendam dictæ materiei tenacitatem debere eſſe validiſſimum & ſimul diu perſeverantem, talem erigit, & etiam conſervat, quin facile admittat, ut per venæſectiones & refrigerantia ſuprimatur. Quod vero interdum corpus prius conteratur; quam vincatur materies conterenda, non naturæ, ſed aut nimiæ tenacitati materiæ attenuandæ, vel enervato per antegreſſa animi pathemata, curas, immoderatas ſanguinis profuſiones &c. corpori; vel debili nimis iſtius compagini, ac ſimili cauſæ eſt adſcribendum.

140. Ad ultimam tandem adfero iſta: Niſi rationis lumine eſſemus præditi, cuncta nobis ita, quemadmodum animalibus judicio deſtitutis, eſſent conceſſa, ad quæ incitamur a natura. Verum inſtinctus naturæ humanæ fuiſſent tunc alii, ac modo ſunt, ſic nempe ordinati, ut ordo totius ſemper conſervatus fuiſſet, qui perſiſtere non potuiſſet permanentibus iisdem, quibus movemur, naturæ noſtræ impulſibus. Pro exemplo ſit inſtinctus generationis. Hic eſt in fæminis beſtiarum tam rarus, ut vilioribus pluries in anno, omni fere menſe, at in pecoribus, equis, & ſimilibus majoribus ſemel tantumomdo ſuſcitetur. Eſt id a ſuprema rerum providentia inſtitutum ad evitandam nimiam unius ſupra alia animalium genera multitudinem, ſive ad conſervandam inter animalium genera proportionem.

Eſt

Eſt autem mulier toto anni decurſu conceptionis capax, Hinc niſi ratio temperantiam imponere poſſet huic in homine impulſui, imponeretque, copia hominum ſive ubertas generis humani fuiſſet jam pridem tanta, quæ ordinem totius funditus evertiſſet. Ratio itaque humana, jubente ſic Providentia divina, debet dominari in inſtinctus naturæ, eosque ita regere ac moderari, ut actiones ſint ſemper conformatæ ad ſanitatem, ad honeſtatem, ad rectum vitæ ordinem, id eſt, ad rationem.

141. Hoc modo quaslibet objectiones, quæ adverſus bonitatem effectuum naturæ in medium adferri poſſent, ſolutum iri, opinor. Sicuti ipſe pacatus humorum per vaſa motus, qui conſtituit vitam, evadit cauſa nonnunquam mortis ipſius, rupta videlicet in cerebri meningibus arteriola, aut majori in pulmonibus vaſe; ſic optimus de ſe naturæ motus & effectus, in bonum finem productus, poteſt caſu fieri cauſa mortis aut morbi alius.



CA-

CAPUT TERTIUM.

DE VIRIBUS ET FACULTATIBUS NATURÆ HUMANÆ.

142 Utile eſt expendere vires naturæ,
143 Siquidem ei tributa eſt ſemper poteſtas maxima.
144 Quantumvis autem multas nos noſtræ derogemus vires.
145 Retinet ea nihilominus adhuc plurimas & maximas.
146 Manet enim morborum curatrix,
147 concedimusque inſuper ei vim tum in animum, cum etiam in corpus.
148 Perluſtremus itaque has naturæ vires
149 Juxta finem triplicem, in quem hæc ſuos dirigit motus.
150 Vocabula, quibus utor in hoc capitulo, ſunt intellectu allegorico ſumenda.
151 Oportet præterea ſemper meminiſſe, naturam vitæ humanæ gerere curam.
152 Conſervatrix vitæ debet habere facultates peculiares.
153 Facultatem videlicet noſcendi conditionem corporis ſani;
154 Advertendi, quamprimum liquor aliquis deficit in eo,
155 Iſtumve ſpeciatim,
156 Ejusdemque copiam;
157 Cognoſcendi deinde rem, qua defectus eſt reſarciendus,
158 Et ipſam indicandi animo,
159 Ejusque uſum efficiendi gratum,
160 Atque demendi ſenſim rei ſuavitatem inter aſſumendum
161 Et demum ſignificandi animo, dum ſatis jam eſt ingeſtum.

162.



CA-



CAPUT TERTIUM.

DE POTESTATE NATURÆ HUMANÆ.

142. Ancipiti deliberatione diſtrahebar aliquamdiu, num vires naturæ ſpeciatim pertractare debeam? cum de iis non niſi per allegoriam diſſerere liceat; quia tamen plenam & ampliſſimam, quæ fieri poteſt, naturæ virium expoſitionem depoſcere videtur tum momentum rei, de qua tractamus, tum & id, quod effectus naturæ per hoc evadant magis adhuc patuli, tum denique, quod per hoc pandatur via ad ſectionem partis operis hujus alteræ, in qua agetur de Natura, ut morborum curatrice, vires iſtius hic paucis referre duxi.

143. Maximam ſemper Naturæ humanæ conceſſam fuiſſe poteſtatem ab omnibus medicinæ Authoribus liquet abinde, quod ipſam dixerint eſſe cauſam omnium prorſus actionum organiſmi, atque inſuper potentiſſimam morborum medicatricem.

144. Natura hæc, veluti nos eam definivimus, quum organiſmum ab ea ſejunxerimus, cunctave ſymptomata & motus, quorum cauſa eſt pure corporea, ipſi ſubduxerimus, adeoque non alios ei reliquerimus effectus, quam qui a ſupra expoſito innato nobis deſiderio ſuam ducunt originem, ſequitur, eam eſſe multo inferiorem viribus & poteſtate; quam ſit natura reliquorum medicorum ſenſu accepta.

145. Verum quantumvis tot, tantoſque motus & ſymptomata naturæ derogemus, manent ipſi nihilominus

nus tamen ſymptomata, motus, & inſtinctus, veluti ex recenſitis hucusque ejus effectibus facile intelligitur, innumera, permanet ea proinde in poteſtate omnino maxima.

146 Si animo, & organiſmo concedimus vim non mediocrem, quanto major debet vis eſſe illius, quod poteſtatem habet in ipſum animum, & in ipſum quoque organiſmum, & quidem tantam, ut utrunque, etiam obſtantem ad actiones cogere poſſit?

147. Naturam deinde, & non organiſmum, aſſeruimus eſſe ſolertiſſimam illam corporis tutricem & morborum curatricem, a qua febrilis incenditur motus; morbi diſſolvitur materies, & cocta eliminatur, utilia quoque ſuſcitantur ſymptomata, ſalubriumque rerum appetitiones, & noxiarum averſiones &c. hæc ſane non leves indicant vires in natura.

148. Quemadmodum magnitudo virium potentiæ ullius non patefit, niſi per effectus; ita poteſtas naturæ humanæ non patebit magis, quam ſi ipſam ex ejus effectibus elicuerimus. Percurramus itaque præcipuos naturæ motus & inſtinctus, atque ſubin eorum cauſæ vim ponderemus.

149. Triplicem aſſignavimus finem, in quem natura ſuas dirigit actiones. Conſervationem videlicet cujuslibet hominis in ſpecie; eandem deinde univerſi generis humani; & denique iſtius augmentum. Quum autem ſecundum hunc triplicem finem enumeraverimus effectus naturæ in præcedente capite, ordo ſuadet, ut eadem quoque ratione in ejus poteſtatem inquiramus.

150. Ante vero quam inquiſitionem hanc ordiamur, monendum eſſe exiſtimavi, me, cum verba uſurpaturus ſim, quæ veram ſcientiam deſignant, neutiquam haberi velle, quaſi reipſa ſcientiam naturæ attribuerem: vocabula ego iſta non alia de cauſa in uſum vocabo, (quemadmodum qui naturam, ajunt eſſe *ſapientiſſimam* morborum curatricem) quam ſolum ideo, ut me medicus paucis expedire valeam. Dum igitur dixero, naturam cognoſcere indolem v. g. noxii peccantis, non volo per hoc intelligendum aliud, quam ner-

vos noſtros, per quos natura movetur, ita affici a noxio, ut ea certo ſemper modo erigatur, & ſic erecta nunc appetitiones, nunc averſiones, jam actiones, nunc vero motus certos & utiles concitet.

151. Præter hæc autem neminiſſe cupio ſemper ſimul eorum, quæ ſupra attulimus (§. 79.) ubi diximus, nobis videri, cujuslibet animalis naturam juſſum quaſi accepiſſe a ſuprema rerum Providentia, ut curam gerat ſedulam vitæ & ſanitatis corporis, quod incolit. Hinc quotiescunque ex effectu aliquam naturæ inferimus poteſtatem, præter unicam mechanicam nervorum affectionem, qua natura movetur per nervos, exiſtimo, ſimul in animadverſionem eſſe ducendum illud ſingulare, nobis congenitum, & nomine naturæ expreſſum (etſi id mente haud comprehendamus) quod curam quaſi in ſe ſuſcepit valetudinis corporis noſtri, miroſque propterea concitat motus in nobis & inſtinctus.

152. Si natura obtinuit poteſtatem, cuncta efficiendi, quæ ad conſervationem vitæ ſunt neceſſaria, debet habere poteſtatem in nervos tum animæ, tum organiſmo dicatos, atque ſuſcitandi appetitiones rerum, averſiones, & motus, quibus 1*mo* Deficiens in corpore liquor reſtitui; 2*do* malum, quod vitam, aut ſanitatem in diſcrimen conjicere poſſet, anteverti; noxium 3tio in corpore exiſtens exterminari, aut ſaltem infringi; & denique 4*to* quibus languens organiſmus erigi poſſet.

153. Ex poteſtate 1*ma* naturæ tributa deſumimus, eam intime noſcere conditionem ſanam ſui organiſmi, id eſt, ita naturam eſſe diſpoſitam, ut ab humoribus, qui ſunt corporis ſani, neutiquam ſe moveri patiatur. inde eſt, quod naturam noſtram admittamus extra omnem actionem eſſe ſæpe poſitam.

154. Deducimus abinde pariter, naturam advertere, quamprimum liquor aliquis organiſmi ſani deficit. id eſt, ſic nervos, per quos ad actionem compellitur, eſſe, comparatos, ut, ſi defectus humoris cujuspiam inquilini obortus eſt, eo modo afficiantur, quo natura cognoſcat, deeſſe aliquid neceſſarii organiſmo.

155.

155. Verum neque sufficeret, si natura generatim solum animadverteret defectum liquoris, sed necesse est etiam, ut habeat perceptionem peculiarem cujusvis humoris in specie, qui deficit, aliter proinde moveatur per inopiam liquoris nutritii; aliter per factam jacturam liquidi diluentis: & aliter deficiente liquore nerveo &c. est necesse: per primum ita, ut excitet famem; per secundum, ut sitim; & per tertium, ut somnum, & sic porro.

156. Præter istam perceptionem videtur netura habere quoque ejusdem liquoris deficientis diversam ratione diversæ magnitudinis defectus, atque tanto magis exagitari deficiente liquido, quanto major est istius copia, quæ periit. Hinc tanto majus suscitat natura desiderium bibendi, quanto plus absumptum est de aquoso diluente.

157. Quid prodesset autem corpori, si natura adverteret inopiam solummodo consumpti liquidi, & ignoraret rem, qua perditum resarciri queat? nihil prorsus. Demus itaque naturæ conditionem, ut ita dicam, r..., qua humor amissus sit restituendus, oportet. Admittere, inquam, cogimur, etsi haudquaquam, quomodo fiat? intelligamus, ita naturam cujusvis liquoris jactura affici, ut perducatur simul ad appetendam rem, qua defectus est reparandus.

158. Neque hoc satis est, cognita enim perditi liquoris inopia, cognitaque re instaurante, necesse est, ut natura potestatem habeat (non facilius, quam alterum, mente assequendum) indicandi rem ejusque copiam, qua consumptum est restituendum, sive suscitandi majorem minoremque instinctum assumendi ea & tanta, quibus & quantis prior obtinetur liquoris copia.

159. Observamus præterea sub ingestione rei reparantis, sensum istius esse tanto gratiorem, quanto major est defectus liquidi: Eo videlicet suaviorem imprimit sui sensum sive saporem panis, dum assumitur, quo major est inopia liquoris nutrientis in corpore sive fames. mira etiam profecto naturæ in hoc potestas,

160. Cum naturæ concesserimus facultatem percipiendi defectum humoris cujuslibet atque cognitionem rei reparantis cum potestate erigendi appetitiones; facile admittemus in ea notitiam quoque advertendi inter ingerendum, quando satis de re reficiente est assumptum, sive perceptionem, quæ recte opposita est priori. Inde est etiam, quod tanto magis imminuatur gratus inter ingerendum rei reparantis sensus, quanto plus de ea ingeritur.

161. Perceptioni huic addenda est, uti patet, potestas excitandi instinctus, & motus, quibus animo significat natura, sat esse, dum reipsa satis est, de re instaurante ingestum ita, ut, si plus ejus assumeretur, id jam foret nimium, & quia nimium, quoque noxium, potestas videlicet inducendi satietatem, & rei, ante pauca horæ minuta gratissimæ, aversionem.

162. Si in natura agnoscimus vim avertendi malum (§. 152. 2do.) quod periculum vitæ minatur, fas est, in eadem admittere pariter facultatem cognoscendi hoc malum, quodcunque istud sit. Nisi enim gallina nosceret suum inimicum accipitrem, ei se non subduceret. Nisi quoque sciret natura, alcalescentia esse noxia in morbis putridis, non esset ægris istis ipsum jam juris bubulini nomen horrori.

163. Gradus nauseæ & aversionis ab alcalescentibus inductus, quem natura indicat, designat in dictis morbis nonnullisque cronicis degenerationem humorum ac putrescentiam, ipsamque prognosin: docet nos insuper natura per hanc nauseam, remotis alcalescentibus, pugnandum esse acidis & antisepticis.

164. Necesse est dein quoque, ut sciat natura modum, quo simile malum anteverti queat, atque simul habeat potestatem, animum compellendi ad actiones, queis malum tale sit prævertendum, oportet. Sciat, inquam, objiciendo manum lapidi decidenti, ejus posse frangi impetum, habeatque potestatem adigendi animum ad objiciendam illi absque mora manum, est necesse. Nisi natura sciret, equum in fluvium lapsum natando posse effugere mortem, atque nisi una ipsum cogeret ad natandum, duceretque natantem, mergeretur.

Jam

Jam hinnulus calcitrat ducente natura; inermis ferit jam fronte vitulus, dum malum imminens a se prohibere molitur.

165. Posteaquam tribuimus naturæ facultatem percipiendi quemlibet liquoris inquilini defectum, ipsumque malum, extra corpus nostrum positum, quod periculum indicat; facile concedemus ei facultatem (§. 152. 3tio) percipiendi noxium quoque, quod in corpore nostro præsens, aut ei extrinsecus admotum, istud reipsa irritat, id est, naturam excitari, ac moveri a noxio reipsa vellicante, vel alio modo corpus afficiente.

166. Cum autem malum irritans possit esse indole diversissimum, haud unquam valemus naturæ derogare potestatem distinquendi noxia inter se, dignoscendique uniuscujusque genium, sive aliter moveri a noxio multum acri, & aliter a minus acri, aliter ab acidis, & aliter ab alcalinis. Nec mirum, quodvis enim heterogeneum modo singulari & diverso afficit nervos corporis, quos tangit.

167. Cognitioni huic adnectanda est altera, noscendi scilicet modum, quo noxium sit infringendum. Pari enim ratione omnia corporis mala exterminari nequeunt. Modus iste, quantumvis sit multiplex, latere tamen non potest sapientissimam morborum curatricem, quæ sæpe maximos propriis viribus morbos funditus exstirpat.

168. Modus hic quem natura assumit in curandis morbis, a causa corporea inductis, & quorum etiam alterutrum medicus deligere, & adhibere debet, duabus nititur actionibus, immutatione videlicet materiæ morbificæ, vel ejus expulsione.

169. Immutari posse malum corporeum morbi, id concoquendo, & humoribus inquilinis assimilando, notum est omnibus. Hinc concedamus naturæ facultatem dignoscendi materiem morbi, quæ percoquenda est, ab ea, quæ sine intervallo est eliminanda, tribuamusque ei potestatem suscitandi febrilem humorum motum, eumque conservandi, quoad materies est concocta, oportet.

170. Modus alter permutandi crudum morbificum consistit in eo, ut diluatur, resolvatur, inviscetur, ac talimodo sive viscositas, sive acrimonia infringatur. Demus igitur naturæ vim quoque determinandi humores ad partem corporis, in qua crudum diluendum, inviscandum, resolvendum &c. hæret. Inde etiam est, quod pars affecta tumeat sæpenumero, repleta humoribus membrana cellulosa, partem hanc cingente.

171. Immutari potest dein quoque malum acre per contraria, acidum nempe per absorbentia; putridum per acida. &c. Concessa plena naturæ facultate permutandi malum peccans, ei denegare haud valemus potestatem cognoscendi ingenium acrimoniæ, atque simul remedium adversans, & præterea vim promovendi desiderium remedii ejusmodi malo contrarii.

172. Cum natura sit optima morborum curatrix, cogimur ipsi tribuere potestatem, crudum expellendi quoque. Verum cum materies morbi fortiter sæpe infixa sit vasis corporis, quas occupat adeo, ut absque validis turbis loco suo evelli nequeat, demus ei etiam facultatem, omnes ad hoc opus necessarios suscitandi motus, quales in pathologia perturbationes criticas nominamus, oportet.

173. Ex quarta naturæ §. 152 attributa facultate conjicimus, eam animadvertere, quando languet exhaustis organismus viribus, atque simul noscere modum, quo isti auxiliari queat? num scilicet residuæ adhuc in corpore vires sint colligendæ, & in actionem compellendæ? vel talia deposcenda ab animo, quæ organismo subsidio esse possent? Hinc singulares prorsus utilissimarum rerum surgunt sæpius in morbis appetitiones.

174. Desiderium deinde nobis congenitum conservandi genus nostrum (§. 149.) universum docet naturæ hominis cujusvis inesse potestatem suscitandi amorem ad quemvis alium sibi æqualem, atque simul cuncta arripiendi ea, quæ animus utilia comperit conservandis singulis in specie.

178. Cum denique ingenitum nobis desiderium multiplicandi (§. 149.) genus nostrum esse statuerimus, elucet potestas in natura inflammandi amorem cuilibet

homini ad hominem ſexu differentem, cum eoque perpetuam ineundi ſocietatem; his inſuper cupiditatem prolium.

176. Objectiones, quæ contra iſtas naturæ proprietates in medium adferri poſſent, ſunt præcipuæ, quod ei attribuamus talia, quæ ſoli rationi propria ſunt, intimam v. g. rerum tum noxiarum, tum utilium indolis agnitionem & ſimilia. Verum objectionibus hujusmodi jam ſupra obviam itum eſt, facileque per hucusque dicta diſſolvi poſſe, judico.

177. Naturam humanam, aſſerunt nonnulli, eſſe tanto potentiorem ſupra naturam animalium irrationalium, quanto excedit anima hominis judicio animas beſtiarum. At vero ſecundum noſtram opinionem eſt natura humana tanto inferior viribus ac proprietatibus, quanto animæ humanæ ratiocinandi vis ſuperat vim ratiocinandi in ceteris animalibus. Docet utique natura volucrum eas conſtruere nidos, apes favos &c. cujusmodi artes non docet natura nos noſtra. Diſcernunt pecora herbas nutrientes, & etiam medicatas a virulentis monſtrante natura, hanc nos ſcientiam a noſtra non accepimus. Scit quodlibet animal optime natare ſola dirigente natura, neutiquam autem homo, niſi per alios hac arte imbutus.

178. Differentia naturæ inter homines ipſos eſt ad mentem Helmontianorum prorſus nulla, quin immo, eam ne quidem creſcere, aut minui unquam poſſe, credunt. Juxta mechanicos autem eſt natura e contrario adeo diverſa, ut cuivis hominum ſingularem aſſignent ſive propriam. Noſtra vero ſententia, etſi omnibus & ſingulis vehemens innatum ſit ſe ipſos conſervandi deſiderium; eſt natura nihilominus diſpar ratione ætatis & ſexus.

179. Deſiderium iſtud eſſe tanto ardentius, quanto homo minus abeſt a ſua origine, adeoque creſcente ætate decreſcere ita, ut in decrepita vix ſuperſit modicum, demonſtrat metus mortis, qui eo eſt minor, quo homo eſt ætate provectior. Notamus præterea in infante, rationis adhuc incapaci, tales naturæ actio-

nes, quales non amplius in ætate majori, uti eſt ſugere lac & reliquà jam recenſita.

180. Naturæ humanæ diſcrepantia, quæ eſt quoad ſexum, non conſiſtit in diſpàri ſe conſervandi deſiderio, ſed plus in differentià facultatum & actionum. Siquidem aliter diſponit naturà animum pueri, & aliter puellæ: illi ingerit cupiditatem exercendi actiones, quas vulgo viriles appellamus; huic vero muliebres. Eſt deinde amor parentum ad proles multo major in Matre, quam in Patre. Expellit quoque natura crudam humorum materiem in muliere non raro per uterum, quod utique nequit in viris, & ſic de aliis.

181. Ex hactenus adductis patet, quid exiſtimandum ſit de latis ſuper natura humana Authorum ſententiis aſſerentium: natura humana eſt in omnibus prorſus æqualis; natura eſt cuivis hominum propria & facile mutabilis in meliorem aut pejorem conditionem; Eſt unica per omnes homines diffuſa; Eſt duplex, communis nempe omnibus, & alterà unicuique propria; Natura humana conſiſtit in conjunctione naturæ animæ, & naturæ corporis, alia eſt natura animæ, & alia corporis, hinc natura, ex his junctis reſurgens, debet ſingularis prorſus eſſe indolis; Natura patris tranſit in naturam filii; Homo natura triſtis, jucundus; & ſic de ceteris.



CA-

CAPUT QUARTUM
DE
ALTERA CAUSA PROCATARCTICA, SIVE DE MECHANISMO CORPORIS.

182 Mechanismus sive organismus est structura corporis humani in actionibus constituta,
183 seu fluidorum per vasa circuitus.
184 Habet itaque vires proprias.
185 Constat unico vase ad sensum conoideo.
186 est machina proinde simplicissima,
187 Et simul ex pluribus minoribus composita.
188 Fluidorum series est multiplex,
189 atque conditio,
190 qui promoventur per unicam cordis contractionem.
191 Effectus igitur organismi proveniunt omnes ab hac cordis contractione,
192 suntque copiosi.
193 Causa eorum est prorsus corporea,
194 addita tamen cordis irritabilitate.
195 Corporis partes sunt quoque partes organismi,
196 qui propterea est instrumentum aliarum potentiarum
197 modo universus, modo vero seorsum ejus partes:
198 Est autem simul etiam Potentia;
199 Afficitur constanter a causis ceteris.
200 Sanus organismi status est is, in quo hic suas rite peragit actiones,
201 estque duplex, secundum nempe vigilias, & alter in somno.

202 Plenus autem ejus ſtatus eſt ſolum in ſomno.
203 In vigiliis enim conturbat mens operantem organiſmum.
204 Examinemus jam ejus vires
205 in homine dormiente,
206 quas invenimus maximas,
207 & longe majores, quam in vigilante,
208 in quo ſunt modicæ.
209 Hinc organiſmo ſunt vires conciliandæ, quas habet in ſomno.
210 Iſte igitur organiſmi ſtatus eſt tanquam ſcopus curationis conſiderandus.
211 Si organiſmus, quæret forte aliquis, cuncta efficit, ad quid nobis natura?
212 Operatur ſæpe, reſpondeo, natura cum organiſmo,
213 aliquando autem is unicus:
214 Hinc iſte, & non natura, conſolidat vulnera.
215 Non eſt autem ſomnus ipſe ſemper conciliandus ægris,
216 ſed organiſmus ita ſolum diſponendus, ut plene agere valeat,
217 non tamen in quibusvis affectionibus.
218 Malus, dicet quidam, eſt pulſus fortis in acutis.
219 Quia, reſpondeo, eſt ſimul celer.
220 Organiſmus debet etiam poſſe rite operari.
221 Quæ autem ad id requirantur, docet Phyſiologia.
222 Si ablatum ſit æquilibrium, is rite agere nequit.
223 inde clarum eſt, eum perturbari per nimias ſanquinis ſubtractiones.
224 in hoc itaque recte diſponendo.
225 Medicus ſemper adlaborare debet.
226 Quocirca iſte intime cognoſcat conditionem organiſmi, eſt neceſſe.
227 Unde liquet, quanti Empyria ſit facienda?
228 Sanitas ipſa corporis differt a ſano organiſmi ſtatu.
229 Vita conſiſtit in fluidorum motu per vaſa,
230 mors autem in eorum ſtaſi.
231 Organiſmus præſervat corpus a corruptione,
232 eſt etiam ſæpe malorum reus,
233 morborum ſcilicet,

234 & non raro mortis ipsius.

235 Corrumpit ipse quoque suos humores.

236 unde quædam inferuntur.

237 Habet vim in naturam,

238 in animum,

239 & in heterogenea.

240 Est universim sumptus idem in omnibus:

141 Speciatim vero consideratus variat quoad sexum,

142 Ætatem,


233 & temperiem.

244 Differt a natura Mechanicorum,

245 atque Helmontianorum.

246 Hinc derivantur quæpiam,

247 & aliorum desumitur ratio.





CAPUT QUARTUM
DE
ORGANISMO.

182. Per vocabulum organiſmi intelligo fabricam corporis noſtri mechanicam in actionibus conſtitutam, quam alias mechaniſmum corporis vocare conſuevimus. Unde ceſſante vita, licet corpus adſit hominis, abeſt tamen organiſmus.

183. Eſt iſte proinde non aliud, quam unicus motus & circuitus humorum per vaſa, in quibus hi permiſcentur, ſecernuntur, & exterminantur e corpore.

184. Motus iſte eſt perennis & absque omni intermiſſione: hinc agit organiſmus continenter: procedit quoque dictus circuitus ſponte ſua· habet itaque organiſmus vires proprias, ex nulla alia cauſa pendentes, queis ſe ipſum in actionibus conſervat.

185. Partes organiſmum componentes ſunt partes corporis noſtri, ſolida nempe & his contenta fluida. Illa non ſunt aliud, quam unicum vas ad ſenſum conoideum, cujus baſis eſt cor, finis vero vaſculorum extremitates.

186. Quum autem univerſum corpus noſtrum ſit canalis, ut ita dicam, unicus, in quo fluunt liquida; clarum eſt, machinam iſtam corporis noſtri eſſe omnium ſimpliciſſimam.

187. Etſi vero organiſmus ſit machina ſimpliciſſima & unico vaſe conſtans, dividitur nihilominus iſtud in ramos pedetentim & ramulos ac vaſcula nullo numero definienda, quæ in diverſis corporis partibus miro & diverſiſſimo modo decurrunt, augentur, minuuntur, com-

complicantur, sibique mutuo inosculantur adeo, ut in quavis corporis parte, in quolibet viscere peculiarem conforment machinam, in usus diversos institutam.

188. Sicuti vas hocce corporis nostri secedit sensim in vasa semper minora, usquedum in minima, omnem sensum fugientia, dehiscat; ita necesse est, multiplicem esse humorum inquilinorum seriem, diametro vasorum, in quibus fluunt, proportionatam.

189. Præter diversam istam decrescentium humorum seriem observamus quoque liquores corporis nostri variare indole, in eoque existere mucum, oleum, pingue, bilem, salivam, chylum, & sic porro, sed de his satis dicta sunto in Physiologia.

190. Motus fluidorum in corpore nostro conservatur per unicum systole & dyastole cordis, sive per solam contractionem cordis & arteriarum, accedente respiratione, perque aliorum musculorum actionem, qua itus humorum multum interdum adjuvatur.

191. Effectus itaque organismi non sunt alii, quam qui a simplici hoc humorum circulo, sive cordis & arteriarum musculorumque, ad respirationem pertinentium, actione proficiscuntur.

192. Tametsi autem non alii effectus organismo adscribi possint, quam qui a simplicissimo & unico humorum per vas unicum circuitu ducunt originem; sunt nihilosecius isti adeo copiosi & adeo miri, ut eas non nisi Physiologia doctus credere possit: præterquam enim, quod humores in suo decursu diversissimas perferre cogantur immutationes, perficitur insuper etiam in quovis viscere ac pene glandula humor peculiaris & a ceteris distinctus.

193. Cuncta, quæ organismus peragit, fiunt per leges mechanicas, hydraulicas, hydrostaticas, perque chemicas, sive per calorem, miscelam, motum intestinum, cumprimis ingestorum in ventriculo, & denique per moram, quæ quibusdam humoribus injicitur in nonnullis corporis partibus. Proinde causa effectuum organismi est prorsus corporea.

194. Unica incorporea, quæ plurimum adfert ad humorum itum, est cordis irritabilitas. Huic elaterem

arteriarum, ſi tamen eum per non aliam rurſus cauſam corpoream explicare velimus, addere per me licet.

195. Quamvis deinde ſejungendi ſint ab organiſmo ratione cauſæ nervi & muſculi corporis, quibus anima cum imperio præeſt; manent nihiloſecius hi quoque pars organiſmi. Quandoquidem ſunt fines continuati communis illius vaſis conoidei, quod corpus efformat; a cordis quoque motu accipiunt, veluti cæteræ corporis partes, ſuum incrementum; ab eodem obtinent ſuum ſemper nutrimentum, ipſosve ſuos, quos continent, liquores. Non eſt itaque punctum in corpore humano, quod non eſſet pars organiſmi.

196. Corpus noſtrum eſt id, in quo morbi ſuas abſolvunt tragædias; iſtud eſt, in quo & per quod natura operatur, materiem morbi concoquit, & expellit ex eo; id eſt idem, in quo & per quod anima ſuas percipit ideas, ſuasque peragit actiones; corpus denique noſtrum eſt id, quod corpora movent, & afficiunt aliena, ejusque functiones conturbant, retinent, aut plane etiam ſiſtunt. Eſt igitur organiſmus inſtrumentum reliquarum trium potentiarum naturæ videlicet, animæ, & heterogeneorum.

197. Cum autem potentiæ iſtæ non ſemper univerſum laceſſent corpus, ſed ſæpius aliquam ſolum ejus partem, ſequitur, modo univerſum, nunc vero unam tantum aut plures ejus partes evadere inſtrumentum potentiarum cæterarum.

198. Diximus non diu abhinc, organiſmum proprios ſuos edere effectus; nunc autem eum eſſe inſtrumentum potentiarum. Hinc clarum eſt, ipſum forma duplici poſſe conſiderari, veluti ſcilicet inſtrumentum aliarum potentiarum; vel tanquam cauſa ipſa, ſuos producens effectus, ſive ut potentia ipſa.

199. Tanquam inſtrumentum afficitur absque intermiſſione nunc magis, nunc vero minus a cæteris potentiis: nec mirum. Nam cingimur aere premente, plurimum variante; nutrimenta ipſa quotidiana ſunt heterogenea, organiſmum exagitantia; nec labitur etiam minutum temporis, quo non aliquam moveremus corporis partem, quamdiu vigilamus, & ſic porro.

200.

200. Organiſmi ſtatus, quem in medicina naturalem hucusque appellare ſolemus, eſt ille, in quo omnia ejus viſcera, omnesque partes actionibus ſuis rite defunguntur, quemadmodum eas exponit Phyſiologia.

201. Quando vigilamus, cordis actio eſt modica, ſæpe varians, reſpiratio quoque levis: at vero, dum dormimus, cordis contractio eſt fortis, æqualis, & moderate cita, reſpiratio quoque magna, profunda, & æqualis. Hinc ſtatus organiſmi ſecundum, ut aimus, naturam eſt duplex, alius tempore vigiliarum, & alius tempore ſomni.

202. Duplex iſte organiſmi ſtatus eſt adeo diſpar, ut is tanquam potentia conſideratus, longe alias debeat habere vires tempore ſomni, quam vigiliarum. Quocirca ſtatus tantum ille, in quo eſt organiſmus tempore ſomni, eſt plenus, eumque ſolum plenum appellabimus.

203. Quamvis enim actiones omnes corporis noſtri rite valeamus exequi, neque ullum ſentiamus incommodum aut moleſtiam, dum vigilamus, patitur nihilominus organiſmus, indicante pulſu & reſpiratione, atque turbatur ab aliis potentiis, & ſi aeris viciſſitudines, aut cibus & potus, vel animi affectus &c. corpus non vexent, ſunt cogitationes, quæ ſubducunt cordi & muſculis reſpirationi ſervientibus vires: vix enim aperimus oculos, dum evigilamus, jam cor & reſpiratio ſunt minora longe, quam momento antea fuerint.

204. Quum igitur in ſomno tantummodo obtineat organiſmus plenam ſuam liberamque agendi facultatem, neceſſe eſt, ut, ſi vires ejus explorare, & ponderare volumus, iniquiſitionem iſtam inſtituamus in organiſmo, dum homo pacato & alto ſomno ſopitus procumbit.

205 Pacatum, dico, & altum debere eſſe ſomnum, dum diſquiſitionem virium organiſmi aſſumere cogitamus. nam, ſi pacatus non ſit, ſed aut per antegreſſam lautiorem cænam, per curas majores, per tegumenta nimia, per atmoſpheram nimis calidam &c. interruptus aut conturbatus, libera organiſmo operandi poteſtas dempta eſt.

206. Languentes & ad quasvis actiones corporis inepti, viribus ideoqne aliisque liquoribus spoliati comittimus nos somno, & toti refecti ac humoribus repleti evigilamus post somnum pacatum. Ecce quantum valeat organismus sibi plene relictus: en vires ejus. Igitur si unquam rite procedunt coctiones, secretiones, nutritiones, & cæteræ organismi actiones, certe in somno.

207. Peraguntur quidem nobis quoque vigilantibus coctiones, secretiones, & reliqua, ast tanto lentius, quanto pulsus & respiratio sunt infirmiores iis, quæ observamus in somno pacato: & si organismus omnibus suis actionibus defungendi fruatur potestate, quamdiu vigiles sumus; videtur tamen destitui facultate corpus suum nutriendi, & humores suos, quos istud sine intermissione ammittit, rursum restituendi. Quandoquidem certum est & exploratum, non obstantibus nutrientibus & reficientibus, quæ interdiu ingerimus, plus semper macres nos petere lectum, quam mane surgamus.

208. Quantumvis autem organismo, quamdiu vigilamus, concederemus facultatem nutriendi suum corpus; fateri nihilominus cogimur, eam esse tam modicam, ut sit multo minor, quam absumptio humorum: non ergo vel tantas habet organismus vires, nobis vigilantibus, quantæ sunt necessariæ ad corpus conservandum, licet maximam assumeremus quotidie optime nutrientium copiam. Hinc liquet, cur somnus sit nobis omnino necessarius?

209. Quotiescumque ergo in votis habemus, ut coctiones, secretiones, nutritioque &c. debite procedant, sintque copiosæ, conciliemus organismo conditionem, quam habet, nobis somno sopitis, sive in qua constitutus absoluta gaudet agendi facultate, oportet.

210. Debet itaque hic organismi status, tanquam meta, ad quam contendimus, in singulis pene morbis, in iis nempe omnibus, in quibus causa morbi est corporea, adeoque dissolvenda, vel concoquenda, constanter ante nostros versari oculos. Si enim Medicus effecerit, ut organismus viribus suis plene uti possit,

fit, maximum præstitit in morbis, in quibus materies morbifica non superat tenacitate vel copia vires organismi. Hæc est felix illa initium morborum acutorum conditio; in qua sydenhamus spectatorem solum egit, aguntque hodiedum medici, qui organismum eo perducere adnituntur, & perducunt.

211. Si organismus, dicet aliquis, cuncta perficit in morbis; si is materiem morbi resolvit, concoquit, eliminat, corpusque reficit, ad quid nobis natura? ad quid medicamina, queis spissum attenuare, acre infringere, inutile expellere &c. molimur?

212. Tametsi, respondeo, dicamus, organismum in morbis acutis nunc expositis omnia præstare, maximumque fecisse statuamus medicum, qui isti plenam agendi conciliavit potestatem; agit tamen semper simul natura, quotiescunque adest febris aut humorum determinatio ad quampiam corporis partem. Efficit proinde omnia organismus in his morbis, ast a natura concitatus. utilitas itaque, quam medicus in similibus morbis confert ægris, consistit in eo, quod omnia removeat obstacula, quæ organismum, per naturam exagitatum, turbare possent operantem. Est igitur in his circumstantiis organismus instrumentum magis naturæ morbum coquentis; quam ipsa potentia propriis utens viribus.

213. Differentia, quæ interest inter organismum propriis viribus agentem in morbis, & inter eum, dum Natura per ipsum morbos curat, maxime conspicua est in vulnerato: quippe stadium inflammationis & supurationis est status naturæ agentis; facta vero supuratione consolidatur vulnus per unicas organismi vires: similiter in acutis quamdiu febris adest coquens, tamdiu operatur natura; expulsa vero materie morbi organismus virtute propria reficit corpus morbo contritum.

214. Medicaminum quod attinet utilitatem, dico: sicuti nemo ignorat eorum vires ac utilitatem in corpore humano, dum ea ordinamus ad resolvendum spissum, involvendum, aut enervandum acre, temperandum calorem nimium, vel ad labia vulneris emolienda, constringenda, roboranda, ab injuriis acris arcenda &c.

ita non unum medicorum esse, judico, qui credat, per ipsa remedia elongari discissa & supuratione consumpta vasa, consolidarique vulnera. Damus proinde remedia ægrotis non, ut per ea concoquatur crudum; non admovemus ista vulneribus, ut vasa discissa concrescant per eadam, sed potius ad ita disponendum organismum, ut materiem morbi facilius coquere, corpus nutrire, & vulnera consolidare valeat.

215. Inde, quod asseruerimus, organismum semper esse redigendum in eum statum, in quo plenis viribus operatur, quem porro diximus esse tantumodo in somno, potest aliquis inferre, debere quibusvis ægris, ipsisve vulneratis perpetuum quasi conciliare somnum. haud quaquam: non enim me latet, ipsis sanissimis eum perniciosum esse, si justo sit longior, vel inepto tempore admissus; per dictum itaque organismi statum intelligo illum, qui proxime accedit ad conditionem organismi, quam is obtinet in somno, in quo pulsus est magnus, fortis, æqualis, & minime celer, respiratio pariter profunda, libera, lenta, & æqualis.

216. Existimo videlicet, organismum ita esse disponendum, ut in ægro etiam vigilante pulsus & respiratio accedant ad conditionem eorum, quæ est in somno. Si igitur cordis contractio fuerit v. g. nimis fortis, ea moderanda est; & vicissim, si per curas vel studia multum infringatur, est per actiones musculorum, per jucundas ideas &c. excitanda, & sic porro.

217. Quantumvis autem hæc regula in multis morbis locum habeat, non est tamen retinenda in ægris, in quibus materies morbi est tantæ tenacitatis, copiæ, aut indolis, ut per collectas in dicto organismi statu istius vires subigi aut expelli renuat, tunc enim aut major est conservandus humorum motus sive febris, majorque, quam sit organismi, calor, & si hic desit, augendus quoque; aut materies morbi remediis solventibus discerpenda, aquosisque diluenda, aut evehentibus ejicienda, vel denique contrariis infringenda.

218. Opponet huic regulæ nonnullus dicturus: hominem febri inflammatoria correptum in maximo tamdiu

diu verſari periculo, quamdiu pulſus eſt fortis & magnus, atque reſpiratio profunda, quamobrem nihil tunc medico plus cordi eſſe debere, quam procurare, ut arteriæ frangatur robur, ipſaque ſubſideat reſpirationis magnitudo.

219 Niſi pulſus, reſpondeo, in morbis Inflammatoriis eſſet ſimul durus, ſimulque velox, atque reſpiratio ſimul anheloſa & cita, ægrotans nulli ſubeſſet diſcrimini, neque noceret vehemens cordis contractio, quia non foret nimia. Verum cum pulſus ſit durus, & una celer, cordis conſtrictio multo excedit contractionem ejus, quæ fit in ſomno pacato hominis ſani: reſtringendus eſt itaque in his morbis humorum circuitus, & quoad fieri poſſit, in eum ſtatum reducendus, qui proximus eſt illi, qualis contingit in homine ſano dormiente.

220. Tametſi multum, non tamen ſatis præſtitit ſemper medicus in morbis, ſi ſic diſpoſuerit organiſmum, ut plenis viribus operari valeat; ſed curandum eſt etiam, ut is rite quoque agere poſſit, hoc eſt: non ſufficit ſemper, ut organiſmus in eum perducatur ſtatum, qui ſimilis eſt conditioni ejus in ſomno hominis ſani; ſed neceſſe eſt quoque, ut ſingulæ ejus partes ſint debite conſtitutæ. nunquam enim vincet organiſmus tenacitatem materiæ morbificæ, ſi pars ejus major ſit labefactata; non ſatis concoquet eandem, ſi v. g. humores acres fuerint, etſi plene ac omnibus viribus agere queat.

221. Quanta & quæ requirantur, ut organiſmus rite queat operari? non eſt hujus loci definire, ſunt dein etiam iſta ex phyſiologia & pathologia omnibus adeo nota, ut ne vel unicum latere poſſint.

222. Non eſt, inquam, ullus inter medicos, qui ignoraret, ſi æquilibrium ſit ablatum inter ſolida & fluida, adeoque vel plethora, vel humorum adſit inopia, aut vaſa corporis ſint male conſtructa, vel humores indole peccent &c. ſive in genere, ſive in ſpecie, id eſt: ſive in univerſo corpore, ſive in aliqua ſolum ejus parte, organiſmus actionibus ſuis haud rite defungi poſſe.

223. Ex eo liquet, quam fallaci innititur fundamento illorum medicorum opinio, qui non credunt, posse ægris, acute decumbentibus per sæpius incisas venas nimium subduci de sanguine sive illum quoque, qui prorsus necessarius est ad conservandum æquilibrium humores inter & vasa, necessarius proinde etiam ad coquendam morbi materiem. Nescio itaque, num pulsus durus, aut crusta sanguinis lardacea, aut vehementis caloris sensus sufficiat ad concludendum, sanguinem iterum iterumque esse ex infirmo corpore emittendum? aut non præstet, æquilibrium consulere, ab eoque sententiam depromere? Nescio sane, utrum centum, & quod excedit, sanguinis uncias ex non admodum plethoricis in eodem eduxisse morbo, non sit emisisse nimium? nonque evertisse æquilibrium?

224. Præcipuum itaque medentis objectum in qualibet prorsus ægritudine debet esse organismus tum generaliter, cum juxta quasvis ejus partes consideratus. In hoc videlicet est maxime elaborandum, ut & solida & fluida debitam nanscicantur conditionem, motum & æquilibrium tam in universo; quam in specie, nisi enim ea obtinuerimus in organismo, nunquam coctiones, secretiones, nutritionem, & perditorum refectionem sperare poterimus.

225. Ex Hucusque recensitis clarum est, debere medicum ante omnia contemplari organismum ægri, tanquam instrumentum, atque examinare, quæ ejus pars, & a qua causa afficiatur? atque subin tanquam potentiam, sive vires ipsius expendere, num hæ suppeditent morbo superando? denique organismum ita disponere, ut plene recteque simul operari queat, & si in quibusdam deficiat, ipsum concitare, & adjuvare.

226. Hoc, quod nemo negare potest, constituto, necesse est, ut quilibet, qui medicinam facere sibi sumit, statum organismi sani intime perspectum habeat, anatomen ideoque completam cum absoluta possideat physiologia, colatque constanter, oportet. Nam quomodo comperiet quis unquam vitium in machina corporis nostri, quodcunque illud sit, emendandum, si istam non cognoverit antea perfectam? Quo

item

item modo corriget partem hujus machinæ labefactatam, si ignorat conditionem istius sanam?

227. Perspicit, opinor, jam quisque, quid sit existimandum de vetulis, rusticis, ceterisque ignaris hominibus? quidve de iis, medicinam exercentibus, qui acutiori anatome & strictiori physiologiæ haud navarunt suam operam unquam? quid denique etiam de ipsis medicis, qui, sprecta qualibet medicinæ scientia, se totos dant normæ curandi palliativæ, specificæ, similitudinis, aut ejusmodi ad empyriam maxime accedenti?

228. Sanitas consistit in debito humorum circuitu per omnia & singula corporis vasa, adeoque etiam per illa, quæ animæ subsunt imperio. Hinc liquet, aliud esse, latiusque multo patere sanitatem, quam naturalem dictum organismi (§.200.) statum. Nam si corpus nostrum vehementius exagitamus, sani nihilominus permanemus, etsi organismus de naturali, ut animus, sua conditione sit per auctum humorum motum deturbatus.

229. Vita vero ipsa hominis non est aliud, quam decursus humorum per sola vasa organismi, exclusis nervis animalibus; quamvis proinde multum vitiatæ sint partes corporis, voluntati subordinatæ, potest nihilominus adesse vita, veluti contingit in hemiplegia.

230. Mors igitur adest sive in parte, sive in universo, ut primum subsistit hic fluidorum per vasa motus: manus inde & pedes in acutis in gangrenam vergentibus tanto propinquiorem denuntiant mortem, quanto magis frigent.

231. Quamdiu humores feruntur per vasa in circuitum, tamdiu servantur incolumes a putredine. Continuo autem, atque stagnant, qui in motu permanere deberent, incipiunt solvi in putredinem, nisi frigus spirituosa, acida & similia eam inhibeant. Organismus ergo est id in nobis, quod humorum arcet putredinem.

232. Organismus, qualem hucusque descripsimus, est morborum extirpator, sanitatis & vitæ custos, & servator humorum integritatis. Videamus jam, utrum non sit is idem interdum quoque morborum, aut ipsius

 mor-

mortis caufa? & utrum non ipfemet fluida corporis corrumpat etiam aliquando?

233. Male conformatam corporis humani partem quamlibet effe auctorem conturbatarum, vel retardatarum fæpe functionum, adeoque morborum, palam eft. Accidit non raro quoque, ut per moderatum liquorum in corpore motum difrumpatur vas aliquod in plethorico, caufetque extravafationes, five morbos diverfos, eft igitur organifmus ipfe morborum fæpenumero reus.

234. Atfi ruptum fuerit vas quodpiam in capite, lethalis apoplexia fequi folet. Capiat interior cranii lamella incrementum vitiofum, mors folius organifmi vitio fuecedet maturior, nullis artis viribus retinenda. fit ergo hic idem coufa mortis quoque.

235. Cum organifmus tranfmutet ingefta acefcentia in humores inquilinos, qui funt indolis alcalefcentis, evidens eft, fluidis, in quos agit, tribuere indolem magis in dies magisque putrèfcentem, cumprimis fi calor fimul adfit major: prômovet itaque organifmus humorum fuorum putrefcentiam, difponitque eos tanto magis in corruptionem, quanto plus egerit in ipfos. exemplo nobis apertiffimo eft fames maxima; fiquidem in hac liquores corporis omnes per unicam diu continuatam organifmi actionem mutantur in ichorem putridiffimum. Eadem proinde ratione, qua organifmus arcet humorum corruptionem, corrumpit eos.

236. Hinc patet, quam fint utilia nutrientia acefcentia in acutis? quamque ipfa remedia acida? item quam e contrario inepta alimenta alcalefcentia in morbis vere putridis? quam etiam perniciofa in acutiffimis medicamina fpirituofa, fudorifera, abforbentia?

237. Vim organifmi, quam is habet in ceteras tres potentias, invenimus ipfam in fingulas maximam. Vix enim conterit organifmus plafticum in corpore nutriens, vixque expulit aliquam liquoris diluentis partem, jam adeft fames, adeft fitis: en poteftas organifmi in naturam.

238. Anima deinde tantopere adhæret fuo organifmo, ut, quamprimum alienum aliquod iftum afficit,

aut

aut ejus quampiam inhibet functionem, perturbetur ipsa quoque, tristetur, & ad proprias etiam actiones peragendas reddatur inepta: tanta est ergo vis organismi in animam, ut eam rapiat illico, ac læditur, in societatem doloris.

239. Potestas organismi in heterogenea variat admodum & ita quidem, ut, si ista teneris sint compagis, ea facili negotio dissolvat, & in ipsos suos convertat humores; at si ista fuerint nimium spissa, vel acria, & similia, in ea non solum nihil possit, sed mutetur ipse insuper ab eis.

240. Organismus universim sumptus, si partes genitales demas, est omnibus hominibus idem: quandoquidem omne corpus humanum, exceptis nunc dictis, iisdem constat partibus; parem habet quodlibet structuram & nexum; similis pene est in omnibus fluidorum per vasa icus, & æquales generatim quivis exerit actiones organismus.

241. Secundum vero sexum consideratus differt ob disparitatem partium generationi dicatarum; quocirca alium servat in corpore viri, & alium in muliere ordinem; aliam humorum determinationem, secretiones, & excretiones &c. veluti pluribus dicemus in capite de sexu.

242. Ratione porro ætatis variat organismus in his: aliæ contingunt liquidorum determinationes, secretiones & excretiones &c. in puero; aliæ in juvene; aliæ in viro; & aliæ demum in senectute. Sed de istis quoque plura suo loco.

243. Si demum conferamus hominum organismos ejusdem ætatis & sexus inter se quoad diversam vasorum humorumque conditionem, nervorum irrirabilitatem variam, & mutuam corporis partium actionem, id est, quoad temperiem, deprehendimus discrepantiam tantam, ut nec duos reperiamus prorsus æquales.

244. Differentia, quæ intercedit inter organismum & naturam mechanicorum, est ista: Adjudicant hi naturæ omnes prorsus actiones spontaneas tam naturales quam etiam præternaturales: nos autem organismo, uti passim commemoravimus, non concedimus alias,

quam

quam quas pure naturales apellamus. Volunt dein illi quoslibet instinctus naturales esse pariter effectus naturæ; nos vero istos organismo subducimus prorsus omnes. Tribuunt præterea illi actiones suæ naturæ tales quoque, quales ne ipsi quidem a mechanismo corporis, sed a causa peculiari derivant, cujusmodi adduximus quæpiam in capitibus præcedentibus: nos vero istas organismo penitus abnegamus.

245. Helmontianorum deinde archæus discrepat ab organismo in sequentibus: Existimant videlicet isti, motus omnes, instinctus, coctiones, & quidquid sponte contingit in corpore nostro, tum naturale, tum etiam præternaturale, proficisci a vi quapiam & causa incorporea movente: Nostra vero sententia generantur quidam istorum effectuum a natura, quipiam ab organismo, alii ab anima, & non nulli ab heterogeneis. Assignamus deinde organismo vim propriam, quam pernegant Helmontiani; Damus nos item soli organismo, quod humores inquilini incorrupti conserventur in corpore nostro; negant hoc quoque Helmontiani.

246. Juxta hanc nostram de organismo susceptam opinionem sequitur, per istum, & non per naturam ingesta digeri; corpus nutriri; absque naturæ subsidio conservari, atque organismum a se ipso instar aliarum machinarum sensim conteri; item eum & non naturam dare pecoribus cornua, volucribus pennas &c. in organismos pariter dispares, & non in naturam, conjicimus causam, quod ex Ethyope & Europea nascatur homo coloris fusci, & ita de reliquis.

247. Rationem hujus capitis atque eorum, quæ istud complectitur, perspicit, opinor, quilibet, utprimum meminerit, organismum esse per nos separatum a natura, interque potentias relegatum: necessarium proinde fuerat, ejus vires referre proprias, ipsumque modo tanquam instrumentum potentiarum reliquarum; modo autem tanquam potentiam ipsam operantem seorsum contueri.

CA-

CAPUT QUINTUM.

DE PARTIBUS ORGANISMI, INTER SE CONSPIRANTIBUS,

248 Machina corporis humani pluribus constat minoribus,
249 quarum aliquæ inter se consentiunt,
250 & quæ aliquandò conturbantur ambæ.
251 quandoque autem pars solum consentiens.
252 Consensus iste fit modo duplici,
253 per nervos scilicet,
254 aut per vasa majora.
255 Materies morbi cruda expellitur sæpe per partem conspirantem.
256 ut patet ex observatis.
257 utile est proinde notare partes consentientes.
258 Examinemus primo consensum generalem:
259 Sensorium commune consentit cum organis sensuum externorum,
260 cum musculis voluntati subordinatis;
261 Isti cum organis sensuum externorum,
262 Hæc cum corde.
263 unde colligitur, febrim inflammatoriam non esse a dolore partis inflammatæ.
264 Sensorium commune alit consensum etiam cum corde,
265 & cum ventriculo,
266 atque cum partibus corporis singularibus,
267 & denique cum utero.
268 Disquiramus jam consensum partium singularium:
269 Caput conspirat cum ventriculo,
270 & intestinis,
271 Speciatim autem cum intestino recto,

272 Cum partibus item generationi dicatis,
273 & cum pedum plantis.
274 Nares consentiunt cum diaphragmate,
275 ventriculo,
276 & intestinis:
277 Fauces cum ventriculo;
278 Cor cum quavis arteria,
279 cum volis manuum & plantis pedum:
289 Pulmones cum renibus,
281 testibus,
282 artubus,
283 cute,
284 & cum tibiis:
285 Ventriculus cum singulis visceribus abdominis,
286 & utero:
287 Intestina cum plantis pedum:
288 Intestinum rectum cum vesica,
289 & utero:
290 uterus cum oculis,
291 pedum plantis,
292 & cum uberibus.
293 Datur præterea consensus inter partes æquales
294 & etiam e directo.
295 Consensus fit quoque per nervos organismi.
296 Hinc desumitur, quæ partes dissentiant,
297 ut cor ab utero,
298 ex his inferuntur non nulla.



CA-



CAPVT QVINTUM.

DE
ONSENSU PARTIUM CORPORIS.

48 Eſt ſimpliciſſima corporis noſtri machina, ex unico utpote vaſe conſtructa, ratione par-um, quarum unaquæque peculiarem rurſum eformat achinam, maxime compoſita.

249. Sunt dein machinæ ſive partes corporis ſingi-tim conſideratæ ita comparatæ, ut quædam earum utuam habeant, altera nempe alterius rationem, ſi-e eam, ut alterutra earum effecta afficiatur ſimul & tera, etſi partes hæ conſpirantes multum a ſe invi-em ſint remotæ: quocirca etiam ſimilem partium con-irationem nominamus conſenſum.

50 Conſenſus iſte inter certas corporis partes notatur uplex: Alius eſt, dum pars conſentiens rapitur a arte affecta in ſocietatem doloris vel motus. Sic cal-ulus in ureteribus hærens & inflammans communicat uam affectionem cum ventriculo, quem ad vomitum roritat.

251. Alter conſenſus eſt, quando non pars ipſa orporis, quæ irritatur, movetur, ſed pars ſolum onſentiens. Dum ventriculus nimia ciborum grava-ur copia, rarius iſte, ſed potiſſime caput eſt, quod do-ore vexatur.

252. Conſpirationem partium fieri per vaſa, qui-us partes conſentientes junguntur quaſi inter ſe, pa-am eſt. Cum autem vaſa corporis ſint diverſiſſima, ſe-uitur, conſenſum fieri modo diverſo, per vaſa utpo-e majora, per arterias nempe, & venas; vel per ninora, ſive per nervos.

253.

253. Nervorum ope fit consensus, dum pars corporis dolore afficitur, aut ad motum concitatur per partem affectam, quacum consentit. Siquidem dolor & motus a solis provenit exagitatis nervis. Sic per nervos, qui conjungunt membranam schneideri narium cum musculis ad respirationem pertinentibus, evenire, nemo ambigit, quod sternutemus, dum acria dictam membranam vellicant.

254. Majorum vasorum inter se conspirantium opera fieri, clarum est, dum pars corporis crudis onerata humoribus transmittit istos ad partem, quacum est in consensu. Observavit jam Hypocrates testiculum inflammatum non raro relegare materiam inflammantem ad pulmones, & hos vicissim suam ad testiculos.

255. At si conspirantium pars alterutra referta est vasis excretoriis, accidit, ut materies morbi, ad hujusmodi partem delata, per eandem exterminetur e corpore, quemadmodum sæpius contingit in morbis acutis tempore crisis, efferturque non raro materies cocta, quæ caput inflammaverat, per alvum, per partem nempe corporis, quæ consensum alit cum capite.

256. Per conspirantem autem partem, assero, fieri similem causæ morbificæ expulsionem propterea, quia compertum habemus ex observatis pluribus, si evacuatio ejusmodi critica non contingat per partem conspirantem, morbum haud plene judicari. Diarhæa sit nobis pro exemplo: hæc judicat morbos capitis, non vero pulmonum; lotii autem sedimenta morbos pulmonum, & nunquam plene morbos capitis.

257, Non est ergo conveniens solum, rite adnotare partes organismi inter se consentientes, sed etiam utilissimum. Quoniam colligimus exinde *1mo* non semper in parte corporis, quæ dolet, aut in motum vitiosum acta est, latere morbi causam. *2do.* cognita parte conspirante facilius deprehendi locum, quem causa morbifica occupat. *3tio* affectiones partis consentientis nobis esse signa quandoque certa causarum morborum, quale signum vermium, in intestinis puerorum existentium, est pruritus narium. *4to.* materiem morbi a parte nobiliori ad ignobilem consentientem feliciter

sæ-

epius arte derivari posse, a pulmonibus v. g. ad articu-
os. 5to rectius judicium ferre valemus de bonitate
vacuationis criticæ, ut hemorhagia narium partis dexte-
æ bona est in hepatitide, non autem in lienitide. 6to.
i partem quandam commovere velimus, id commode
erficitur per irritationem partis consentientis. 7mo.
te potest disponi ante diem criticum pars excernens
uæ consensum intertenet cum parte affecta 8vo. deni-
ue ipsam etiam morbi materiem, antequam infiga-
ur parti corporis, maximo ægrorum commodo eve-
imus sæpe per vasa excretoria conspirantia, per uni-
am idcirco purgationem prævertimus frequenter atro-
es capitis morbos.

258. Examinabimus proinde consensum inter partes
rganismi primo generatim, sive illum, qui est partis
licujus cum universo systemate nervoso animali vel or-
anismi. Subin in specie seu illum, quem partes orga-
ismi singulares fovent inter se.

259 Sensorium commune alit consensum cum quo-
bet organo sensuum externorum: ingratus eapropter
uarumpiam rerum odor totum conturbat hystericarum
ensorium commune, sive systema nervosum; & ex ad-
erso grata corporum exhalantium effluvia, naribus ex-
epta, illud recreant universum, & instaurant.

260. Alterum, quod sensorium commune intertenet
ommercium cum parte singulari, est cum musculis vo-
untati subordinatis: id clare cernimus in epilepticis &
imilibus affectionibus, in quibus acre rodens cerebrum
efficit, ut omnes totius corporis musculi convellantur.

261. Organa deinde sensuum externorum consentiunt
um musculis voluntariis, medio scilicet sensorii com-
munis. Inde est, quod in vehementi partis cujuspiam
dolore masseteres, aliosque præter voluntatem constrin-
gamus corporis musculos; per tam validum impulsum
eris, in tympanum auditus factum, quantus animum
onterret, universum conquatitur corpus.

262. Fovent etiam hæc organa consensum cum ipso
corde. in atrociori enim cujusdam partis dolore cordis
actio fit modica & debilis. post majorem terrorem pal-
pitat quoque cor.

263.

263. Effectus iste consentientis cordis cum nervo sensus externi sive sentiente, unde constat, cordis vim multum infringi per dolore affectam corporis partem, docet aperte, causam febris sive excitati humorum motus in v. g. pleuritide haud recte deduci posse ab ipso dolore, quandoquidem pulsus est in gravi pleuritide fortis, & non debilis.

264. Tertius, quem observamus inter sensorium commune & partem corporis, consensus est inter istud & cor. Vix enim delata est ad animam idea tristis, jam languet quoque cor; vix etiam conspicit in iram pronus inimicum, jam cor furore tremet.

265. Conspirat quarto sensorium commune cum ventriculo. hinc est, quod is, cujus systema nervosum est admodum mobile, nauseam illico edendi capiat, & vomat quoque interdum, audita vel visa re obscæna.

266. Quintam intertenet conspirationem sensorium commune cum singularibus & diversis in variis hominibus corporis partibus. Sentit mulier hysterica aut vir hypocondriacus, quem ob summam nervorum mobilitatem sic appellamus, in eadem semper, ast varii in diversa corporis parte, affectionem peculiarem, quotiescunque aut terrore percellitur, aut ingrata quadam obruitur præter expectationem idea. Affectionem istam clavum hystericum, vel hypocondriacum nuncupare consuevimus.

267. Sextus non prætermittendus sensorii communis consensus est cum utero. Nam uterus inflammatus inducit delirium. cum deinde mater uterum gerens per solam imaginationem æternum fætui, quem gestat, imprimat sæpe nævum, peculiaris intercedere debet consensio inter sensorium commune & uterum.

268. Descripto sic consensu generali sive eo, quem deprehendimus inter sensorium commune & quaspiam singulares corporis partes, disquiramus jam consensum in specie sive inter partes corporis peculiares.

269. Caput primo alit conspirationem cum ventriculo: merito eapropter quærimus causam vomitus non nunquam in capite. Læso enim, compresso, aut irritato cere-

erebro fit vomitus. viciſſim doloris in capite cauſa æpius derivanda eſt a vitiato ventriculo.

270. Alterum habet conſenſum caput cum inteſtinis. iquidem frequentiſſima experientia docti ſcimus, caitis morbos per evacuationes alvinas optime judicari; orbosque ejus illico ſæpenumero leniri, aut etiam olli per purgantia.

271. Tertium conſenſum capitis, qui eſt cum inteſtino recto, comprobat dolor occipitis, dum vaſa æmorhoidalia cruore turgent, recedens iterum his epletis.

272. Quarta capitis conſpiratio eſt cum partibus genitalibus. Quoniam ex obſervatis notum habemus, umodicas narium hæmorrhagias ſiſti per aquam frigilam vel acetum, linteorum ope teſtibus applicatum. n quadam maniæ ſpecie contrahuntur teſticuli, eſtque æc antecedens teſtium contractio certum ſignum futuræ maniæ.

273. Quinta capitis conſenſio notatur cum plantis pedum. Nam iſtæ titillatæ conturbant univerſum ſyſtema nervoſum. Compertum præterea eſt, delirium n quibuſdam morbis acutis multum imminui per emoliens fomentum plantis pedum admotum. Quædam tiam affectiones capitis pulchre ſolvuntur per peliluvia.

274. Nares conſpirant primum cum Diaphragmate, quod clare videmus in ſternutatione, per pulverem erbarum ſtimulantium naribus attractum excitata.

275. Secundam narium conſpirationem, quæ eſt um ventriculo, derivamus a vomitu, qui non raro ſequitur majorem narium vellicationem, per eadem acria nductam.

276. Tertius narium conſenſus, qui eſt cum inteſtinis, eſt ipſis vetulis notus, quæ ex pruritu narium pud pueros ſuſpicantur de vermibus in inteſtinis, eſtque hoc ſignum junctis ceteris certum exiſtentium in nteſtinis vermium.

277. Faucium ſive radicis linquæ conſpirationem cum ventriculo deſumimus ex vomitu, qui excitatur per ti-

til-

tillationem faucium, plumula, digito aut alio inſtrumento factam.

278. Cor præter conſenſum, quem alit cum ſenſorio communi, cumque organis ſenſuum externorum, habet alium cum unaquaque minima corporis arteriola, nec mirum: quoniam eſt idem vas, & habet quævis arteriola ſuum a corde diaſtole.

279. Quartus vero, quem cor fovet cum volis manuum & plantis pedum, conſenſus eſt plus admirandus. Licet enim cor non ſit ullis inſtructum nervis ſentientibus ſive animalibus; contingit nihilominus tamen, ut, tectis bene aut fotis calore volis manuum & plantis pedum, multum increſcat cordis actio; atque ex oppoſito remittat iſta pari modo, dum dictæ partes refrigerantur.

280. Pulmones conſpirant primum cum renibus. Eſt conſenſus iſte non alius, quam quod, comprobante id frequenti obſervatione, morbifica pulmonum materies feliciter evehatur per vias urinarias.

281. Altera pulmonum conſenſio eſt cum teſticulis, quæ conſiſtit in eo, quod materiam morbi inflammantem ſibi mutuo transmittant, & abſcedens ab alterutra harum partium invadat potiſſime alteram.

282. Tertia pulmonum conſpiratio eſt cum artubus, priori ſimilis. ſiquidem materies artritica revertens ex articulis, pulmones occupare ſolet; & viciſſim materies, quæ aſtma, tuſſim &c. excitat, defertur ſæpe ad artus relictis pulmonibus.

283. Quartum pulmonum conſenſum inferimus e ſimilibus obſervatis eſſe cum cute: materies enim cruda in morbis exanthematicis, antequam ad corporis ſuperficiem perferatur, in pulmonibus hærere videtur, difficilis reſpirationis &c. cauſa, evaneſcuntque ejusmodi affectiones pulmonis prodeuntibus exanthematibus. Si variolæ, morbilli, ſcabies, & ſimilia per frigus, aut per unguenta &c. repellantur in circulum, ad pulmones ſe recipere ſolent.

284. Quinto conſpirant pulmones cum tibiis. Quoniam, docente longa experientia, juſte metuimus pernicioſos pectoris morbos, ſi diu madentia tibiarum ulce-

ce-

cera ficcari incipiant, aut ab ignaris futuri mali consolidentur. In pectoris dein affectionibus, ab acrimonia irritante concitatis, nusquam, ut norunt experti, plus utilitatis præstant vesicantia, quam suris admota.

285. Ventriculus consentit, veluti antea exposuimus, *1mo* cum sensorio communi; *2do* cum capite; *3tio* cum naribus; *4to* cum faucibus. Præter consensum istum alit quintum cum quibuslibet visceribus abdominis. Siquidem in uniuscujusvis visceris inflammatione adest quoque vomitus. Non est autem consensus iste ventriculi cum ipso viscere, sed tantum cum membrana, quæ istud investit.

286. Sexta vero consensio ventriculi, quam cum utero observamus, videtur esse cum ipso uteri corpore. quandoquidem eodem mulieres quædam, quo conceperunt, die nauseam sentiunt, & vomunt aliæ.

287. Intestina fovent consensum *1mo* uti memini, cum capite; *2to* cum naribus; *3tio* cum ventriculo. His addendus est quartus, quem habet cum plantis pedum. Hanc demonstrant tormina & ipsæ intestinorum, inflammationes quæ perfrigeratas pedum plantas excipere solent. Nihil deinde plus confert ad fovenda calore intestina, quam fotus plantarum pedum.

288. Intestinum rectum videtur nervos peculiares, & a ceterorum intestinorum nervis dispares, habere sibi intextos, per eosque peculiarem cum ceteris partibus retinere conspirationem, ut cum capite, de qua paullo prius dictum est, & dein cum vesica. quoniam stranguria est cum tenesmo intestini recti adeo consociata, ut illa istum, & iste illam fere semper excitet.

289. Tertium intestini recti consensum, qui est cum utero, indicat idem tenesmus, qualis a multis pro certiori signo habetur fœtus in utero mortui.

290. Uterum conspirare scimus ex ante dictis *1mo* cum sensorio communi; *2do* cum capite; *3tio* cum intestino recto. *4to* cum ventriculo: Istis subjungendus est consensus quintus cum oculis, quem indicat lividus istorum color, qui mulierem ex utero laborare, atque istum vel in menstruationis negotio esse occupatum, aut gonorrheam pati, semper fere significat.

291. Sexta uteri conſpiratio eſt cum plantis pedum. Quandoquidem mulieres plethoricæ, dum præſentem fluxum promovere volunt, inſiſtunt pavimento frigido marmore ſtrato.

292. Poſtremus uteri conſenſus ſit cum mammis. hic adeo notus eſt omnibus, ut eum nemo in dubium vocare poſſit. Sit id ſolum in confirmationem ejus, quod nimium uteri profluvium pulchre remittat, aceto mammis linteorum ope applicato.

293. Præter enarratum hactenus conſenſum partium corporis diverſarum eſt alius non mediocris, qui intereſt inter partes organiſmi pares, ſive quarum ſtructura æqualis eſt, oculi videlicet cum oculo, mammæ cum altera, ren cum ſocio &c. Quoniam ex obſervatis conſtat, alterutra earum affecta, ſociam quoque eodem vitio brevi poſtea affici.

294. Obſervamus non minus ſingularem partium conſenſionem, quæ fit e directo, ſive inter partes corporis lateris ejusdem. Contingit nempe, ut unica ſolum gena faciei roſeo in phtyſi tingatur colore, ſuppurationem indicante. Docuit dein Anatome, ejusdem lateris pulmonem fuiſſe abſumptum, in quo rubebat facies. Hepatis porro lienisque inflammationes judicantur aliquando per hemorrhagiam narium, at ſolum per eam, quæ fit e nare dextero, ſi hepar; & contra in ſiniſtro, ſi lien ſit inflammatum. In eodem corporis latere ſentitur hemicrania, tumor, & retractio teſticuli, ſtupor pedis &c. in quo ren vellicatur a calculo.

295. Ex recenſito hucusque partium conſenſu conficere licet, duplicem eſſe conſpirantium partium rationem, aliam nempe, velut ſupra meminimus, per unicos nervos, & aliam per vaſa ſimul majora. Colligimus ex eis quoque, conſenſum iſtum non ſolum per nervos interteneri animales, ſed etiam per nervos organiſmi.

296. Enumeratis partibus, quæ conſentiunt, facile eſt determinare partes, quæ conſenſum omnem elidunt, ſunt autem iſtæ, quarum conſenſus non eſt adnotatus in hoc capite. Non conſuetit videlicet ſenſorium commune cum ipſo viſcerum abdominalium corpore, ut he-

hepate, liene, & renibus. Siquidem obdurescunt ista sæpe, & supuratione consumuntur, quin conturbetur sensorium commune.

297. Haud conspirat deinde uterus cum corde. Vix enim mutatur pulsus in uteri inflammatione; non quoque ipsum hepatis corpus ex eadem ratione cum corde.

298. Exinde norimus, quam parum sit in inflammatione hepatis & uteri credendum pulsui? desumimus ex eo quoque, febrim non esse semper individuam comitem inflammationis, & supurationis, non nullaque alia.




CAPUT SEXTUM.

DE TERTIA CAUSA GENERALI, SIVE DE ANIMA.

299. Potentia tertia eſt anima ratiocinans,
300 incluſa ſuo corpori,
301 quocum componit hominem:
302 non eſt diſperſa per corpus univerſum.
303 Triplex eſt ejus agendi ratio;
304 vis autem ipſius omnis exiſtit in nervis.
305 Si in parte corporis pereat facultas animæ, non perit propterea etiam vita.
306 Cor & arteriæ non ſubſunt imperio animæ.
307 Hinc anima non eſt cauſa vitæ.
308 Operatur animus per res corporeas,
309 per liquorem videlicet nerveum,
310 qualem exempla demonſtrant,
311 & in nervis fluere perhibent.
312 Liquor iſte eſt unicus inſtrumentum agentis animæ,
313 & ſimul vinculum, conjunctam retinens cum ſuo corpore animam.
314 Actio iſtius videtur eſſe poſita in diverſo fluidi nervei motu:
315 Perficitur iſtud ex alimentis,
316 eſtque tenuiſſimum.
317 Non eſt anima per ſuos nervos diffuſa:
318 neque idem cum ſpiritibus vitalibus.
319 Quamvis poteſtas animæ ſita ſit ſolum in cogitationibus & muſculorum contractione,
320 eſt nihilominus maxima,
321 cumprimis in muſculis:
322 iſtorum enim opera conſervatur organiſmus,
323 quem anima momento temporis perdere poteſt

324



CAPUT SEXTUM
DE
ANIMO AC PRINCIPIO
COGITANTE.

299. Potentia Tertia, quam multorum effectuum tum utilium, tum etiam perniciosorum, quocirca diversorum quoque morborum genitricem esse diximus, sit Anima rationalis, quam mentem, principium cogitans &c. appellamus, distinguenda proinde ab anima, quam vegetantem aliqui nuncupare solent.

300. Anima hæc, quantumvis, uti ejus evincunt effectus, purus sit spiritus; est nihilominus suo corpori inclusa tota. Ubicunqne igitur corpus est hominis, ibi est ejusdem quoque anima. nec occupat spatium in atmosphera majus, quam corpus, in quo existit, sit istud pusillum aut maximum.

301. Non est autem anima corpori suo inclusa, quemadmodum avis in cavea, sed cohæret ita cum eo, ut sit ipsi intime admixta, unumque cum eo constituat, quod appellamus hominem.

302. Quantumvis autem anima & organismus tam arcto jungantur inter se nexu, ut unum componant; existunt nihilominus partes in organismo, quibuscum non videtur conjuncta esse anima, ut est cortex cerebri, pulmo, hepar, lien, ren, & ossa. Partes enim istæ omnes possunt vulnerari, consumique, quin anima id sentiat.

303. Percipit ista affectiones sensuum externorum ratiocinatur, &, ut commemoravimus, movet musculos sibi subordinatos. tres sunt proinde actiones ani-

mæ : percipere utpote objecta externa ; de iis, aliisque judicare ; & suos movere musculos.

304. Dum nervus, qui a medulla cerebri vel a spina dorsali descendit ad musculum quempiam, animæ potestati subjectum, vel ad organum sensus, discinditur, pars infra resecatum nervum privatur omni sensu omnique motu. Consistit ergo vis animæ sentientis, & moventis in nervis.

305. Tametsi autem sensus intereat omnis, omnisque pereat motus in parte corporis, dum nervus, ad eam tendens, dissecatur, aut obstruitur in paralysi ; non cessat nihilosecius partem istam irrorare sanguis, non cessant vibrare arteriæ. Proinde nervi arteriarum & venarum non sunt animatæ sive tales, quibuscum nexum haberet anima.

306. Observamus præterea quoque, musculorum in corpore aliquos non se contrahere, nisi eos anima constrictos esse velit ; aliquos vero, ut cor & musculi ad respirandum pertinentes, in continua versari actione, quin ipsos moveat anima. Hinc clarum est, musculorum alios esse voluntatis imperio subjectos ; quospiam vero extra hocce imperium constitutos.

307. Cum actio cordis, arteriarum, & musculorum respirationi servientium contingat sua sponte, non pendeat ideoque ab anima ; sequitur, humorum per vasa circuitum sive vitam hominis non dependere, neque conservari ab anima ; ista idcirco non est causa vitæ dicenda.

308. Quidquid anima percipit, id obtinet per organa sensuum, & quidquid exequitur, id efficit ope suorum musculorum. Igitur quidquid ea percipit, & quidquid exequitur, id percipit, & exequitur, quamvis esset purus Spiritus, per res corporeas,

309. Asseruimus non diu abhinc, nervos corporis esse instrumentum, quo anima accipit objecta, movetque suos musculos. Verum cum hæc in somno alto nullas, nisi vehementes, sentiat impressiones, in organa sensuum factas, licet eadem permaneat in somno nervorum structura, quæ fuerat ante somnum, inferendum est, non nervos ipsos esse instrumentum agen-

tis

tis animæ & percipientis, ſed fluidum aliquod in iſtis ineſſe debere, intertenens communicationem inter organa ſenſuum & medullam cerebri, atque inter hanc & muſculos voluntati ſubditos, quamdiu vigilamus.

310. Confirmatur fluidi hujus in nervis præſentia per id, quod poſt majus corporis exercitium, poſtque longas vigilias ſenſus obſtupeſcant externi, muſculique animales fiant ad agendum dificiles. Siquidem hoc non aliud ſignificare videtur, quam per corporis exercitium perque vigilias diu protractas diſſipatum fuiſſe liquorem nervorum.

311. Si cuidam mortalium magna profluat e vaſis Sanguinis copia, decedit ſimul animæ facultas ſuos contrahendi muſculos, viſque excipiendi objecta per ſenſuum organa, immo ipſum quoque una deficit judicandi acumen; & ſi major adhuc pereat cruoris quantitas, ſubducuntur animæ omnes ejus agendi vires, homoque concidit, non amplius ſui ipſius conſcius; at ſi omnis penitus proſilierit e corpore, interit homo, quamvis nervi omnes perſiſterent iidem, Hoc ſane videtur evincere, liquorem aliquem exiſtere in nervis, moverique, qui cum ſanguine profluit, dum is emittitur e venis.

312. Admiſſo liquore aliquo per nervos fluente, erit is idem, quod vires nominamus corporis; erit is unicus quoque id, per quod anima objectorum accipit impulſus, ſuoſque contrahit muſculos; erit id, cujus ope cogitat, ratiocinatur, & meminit præteritorum; erit denique unicus id, per quod anima afficitur a rebus externis, ipſoque a ſuo corpore, & per quod omnes ſuas perficit actiones.

313. Conceſſo nervis liquore aliquo, non erit iſte inſtrumentum ſolummodo, quo anima operatur; verum etiam, cum anima excedat e ſuo corpore, dum omnis ex hoc educitur ſanguis, erit ipſum vinculum, quo anima & corpus conjunguntur, & juncta retinentur.

314. Si unicus nervorum liquor eſt agentis animæ inſtrumentum, actiones ejus conſiſtunt in ſolo vario hujus liquoris motu. Sic, dum anima aliquid clarius auditu v. g. percipere vult, videtur plures propellere li-

quores nerveos ad organum auditus, ut major adesset in hoc sensu dicti humoris, impulsum excipientis, copia, inde dicimus intendi sensus, dum anima meditatur, id est, membranam nervosam tendi a copia spirituum.

315. Delassati & viribus spoliati committimus nos somno, dum lectum petimus; resurgimus autem mane plene refecti, & vigentibus sensibus omnibus tam internis, quam externis, promptique ad quaslibet actiones reviviscimus quasi. Per somnum ergo restituuntur vires interdiu absumptæ. restituuntur autem tanto magis, tantoque plures, quanto corpus pluribus idoneis, quæ rite digerebantur, alimentis est refectum. Ex alimentis ergo generantur vires sive liquor nerveus.

316. Humor iste nervorum cum fluat in tubulis, qui se non acutissimo pandunt microscopio, atque etiam cum sit instrumentum animæ, causæ utpote vere spiritualis, & denique, quia est ipsum vinculum, nectens animam cum suo corpore; existimare convenit, eum esse tenuissimum, & ad supremam ejus, quam habere videtur, subtilitatem satis exprimendam, tametsi esset ex cibis crudissimis perfectus, spiritus vitalis nomine dignum.

317. Non videtur autem anima tali modo esse per suos nervos diffusa, ut sit in qualibet corporis parte, quæ sensu prædita est. Non est, inquam, censendum, ipsammet audire sonum, qui tympanum ferit auditus; ipsammet cernere objecta præsentem in oculis &c. audiret enim in somno quoque clarissime, ceteraque æquali sentiret ratione, qua sentit vigilans. Animæ ergo sedes videtur potius esse in origine nervorum sentientium & musculos moventium, sive in sensorio communi.

318. Sunt quidem non nulli, qui animam humanam nihil diversum esse ab ipso hoc nervorum liquore arbitrantur, adeoque ipsam vere esse ibi præsentem, ubi is existit liquor sive spiritus vitalis; eam ideoque ipsam esse, quæ videt in oculis, audit in auribus &c. Verum non concipio, quomodo quis existimare possit, alimenta, ex quibus perficiuntur spiritus vitales, posse per actiones organismi obtinere facultatem cogitandi, re-

miniscendi, se ad actiones libere determinandi &c. adeoque ipsum constituere principium cogitans?

319. Quum animæ potestas sita sit in solo diverso liquoris nervei motu, ejusque instrumentum sint tantummodo nervi sensuum & musculorum voluntariorum, sive liquor in eis fluens: clarum est, animam non habere vim aliam in suum alienaque corpora, quam solum per cogitationes, & per contractionem suorum musculorum, neque aliter posse affici, quam per nervos sentientes.

320. Quantumvis autem non aliam habeat anima potestatem in suum aliave corpora, nisi per cogitationes & motum suorum musculorum; habet nihilominus tamen omnino maximam, quemadmodum effectus, qui ab anima proficiscuntur, intuenti patet. ast contemplemur nos quoque hos effectus, & primum eos, qui ex musculorum animalium resultant actionibus.

321. Omnes totius corporis, excepto unico corde, aliisque paucis, musculi sunt animæ imperio subjecti, copiosissimi proinde & vastissimi. Vis dein constringentis se musculi est omnino magna. Collatis jam musculorum viribus cum eorundem copia, arguere licet, vim animæ per musculos esse certo maximam.

322. Non est concessum nobis, veluti vegetabilibus, sugere nostrum e terræ visceribus alimentum, sed cogimur istud e regno vegetabili & animali prius depromere, condire, masticare, & in ventriculo digerere; quam bibulis intestinorum vasis possit admoveri. Organismus proinde conservationem suam debet musculorum animalium actioni.

323. Cum nutrimentorum delectus & præparatio a voluntate pendeat libera, stabit in animæ arbitrio, noxia præponere utilibus, eritque in ejusdem potestate, venena infundere in suum corpus, istud pauco temporis intervallo perdentia: potest dein quisque violentas sibi inferre manus. Habet ergo anima vim per musculos in suum corpus tantam, ut hoc universum momento citius delere possit.

324. Si plures ſimul in actum compellimus muſculos animales, accelleratur fluidorum itus per vaſa, geminaturque cordis contractio. Hinc liquido conſtat, animam habere vim in cor ipſum, etſi non proximam, ſive nullo intermedio, medio tamen ſuorum muſculorum maximam, & ſicuti in cor, ita in univerſum organiſmum.

325. Quantum utilitatis redundet in organiſmum ex ſimili per muſculares actiones concitato humorum circuitu? perſpicit omnis. Non augetur ſcilicet ſolum per ejusmodi actionem calor corporis, præcipuus coctionum promotor; ſed increſcunt ſimul ſecretiones & excretiones, unde crudorum perficitur elaboratio, & ociiſſima contigit inutilium exterminatio.

326. Non utilis tantummodo, ſed neceſſaria eſt cuilibet etiam frequentior muſculorum animalium actio. Experimur enim, eos, qui multum parcent ſuis muſculis ac viribus corporis, vitamque colunt ſedentariam, fovere in ſinu ſuo materiem, peſſimorum morborum fontem, quem alii, qui muſculos ſuos frequenter exercent, feliciter conterunt, & expellunt e ſuo corpore.

327. Sunt, qui ex utilitate, quam ipſis adfert major corporis motus, inferunt, peculiaria ſolum corporis exercitia, uti ambulatio, labor, equitatio, & ſimilia neceſſarium concilient humoribus ad tuendam ſanitatem motum. Verum ſi advertimus, dum loquimur, cantamus, legimus voce clara, & leves in cubilibus exequimur actiones, non paucos eſſe, qui tum agunt, muſculos, negare nequimus, ſufficere has quoque actiones debilibus & cumprimis illis, qui non nimium ingerunt, aut alias plus movent ſuum corpus.

328. Hinc facile eſt colligere, quantopere conſulant ſanitati ſuæ illi, quos aut officium aut aeris aſperitas, aut adverſa corporis valetudo &c a majori retinet corporis exercitio, ſi cantando, diutius loquendo, aut clara voce legendo &c ſuum interdiu exagitent fluidorum motum? certe non inanis eſt naturæ ſtimulus, quo aves caveis incluſæ compelluntur ad cantandum, aut elephas ad perpetuum vaſti ſui corporis motum.

329.

329. Tametsi autem anima brevissimo temporis spatio possit adaugere fluidorum per vasa circuitum, non potest eum tamen, postquam jam multum est accelleratus, in pristinam pauco temporis intervallo reducere moderationem: unicum, quod conferre valet ad hoc rursum obtinendum, est id, quod possit admittere ad nervos, vel ipsis admiscere humoribus frigus ac talia, quæ motum auctum reprimunt.

330. Paria, immo majora adhuc sunt recensitis commodis mala, quæ causa hæc eadem inferre poterit suo corpori, si aut 1*mo* musculos moveat non movendos; aut 2*do* si multos simul & cum impetu constringat, 3*tio* si exagitatos humores per motum muscularem plus adhuc concitet, aut 4*to* si liquores inepto tempore in motum agat.

331. Quando vulneratus stringit subjectos vulneri musculos, aut ipsos læsos, vel fracto ossi adjacentes &c. non mediocria, quæ nemo non videt, inducit suo corpori mala per musculorum similium, (§ 330 1*mo*) non movendorum, contractionem.

332. Notum est deinde, Phtysicos, hemopthysicos, plethoricos, inque similibus corporis affectionibus morbósis constitutos, a nihilo in majus conjici discrimen, quam, si contractis pluribus simul musculis (§ 330 2*do*) humores in repentinum & maximum una compellantur motum.

333. Per diu conservatum, a musculis animalibus exagitatum, liquidorum itum istos non privari solum parte sua tenuiori, reliquamque inspissari, & per nimium calorem quasi exuri, sed exustos etiam in vasa serie minora premi, eisque infigi, docet observatio. Unde (§ 330 3*tio*) pertinaces inflammationes, rupturasque vasorum immedicabiles non raro promanasse, frequens testatur experientia.

334. Ex studiosa ejusmodi effectuum adnotatione compertum reddidimus nobis, muscularem corporis motum esse pariter ratione temporis (§ 330 4*to*) perniciosum. Sic multum utilis major ante prandium corporis motus evadit noxius, indigestionem scilicet causans, si protrahatur, usque dum mensæ assidetur. Everti non minus chylificationem per vehementes actiones muscu-

lares,

lares, ſi, nullo interpoſito temporis intervallo, poſt ſumptum prandium celebrentur, omnibus notum eſt.

335. Modus alter, quo anima agit in ſuum organiſmum, eumque diverſe afficit, eſt per animi pathemata. Nam ſi grata quæpiam idea pervenit ad animam, grate.is eam accipit, eaque tantopere delectatur, ut ipſam diu conſervare adnitatur. Dum circa jucundam hujusmodi ideam verſatur animus, obſervamus, cordis tunc motum eſſe fortiorem, & ſolito, aſt cum moderatione celeriorem, reſpirationem quoque bonam, & muſculos animales ad quamlibet actionem promptiſſimos. Major itaque fit tunc ſpirituum influxus in cor ceterosque totius corporis muſculos.

336. Quoticscunque autem ingratæ cujuspiam rei aut perſonæ imago ſiſtitur animo, percellitur is illico vehementer, notamusque cordis actionem eodem ſimul conturbari puncto temporis ita, ut modo ſit citiſſima & ſimul fortiſſima; modo cita & debilis; non nunquam debilis & ſimul intermittens, & ſic porro, pro varietate ſcilicet idearum, plus vel minus ingratarum, animum diverſe afficientium, reſpondente ſemper reſpiratione: muſculi vero animales ſunt præter voluntatem aut conſtrictiſſimi, aut ex adverſo vix conſtringendi, vel tremuli. Eſt ergo, regnante ſimili idea, influxus Spirituum in quosvis corporis muſculos nunc impetuoſus, nunc e contrario modicus, aut multum inæqualis.

337. Ex his pathematum effectibus colligimus, animum, ſicuti is nullam habet poteſtatem in cor, nullo interveniente, volens, ita habere in id in animi affectionibus e temporis veſtigio maximam, hocve præter ſuam voluntatem. Nondum enim fere appullit ad animum imago inimici, jam exaſperatum eſt cor, pulmonesque jam profundiſſime ſpirant. Vix accipit mulier mortem dilecti ſui filii aut mariti, jam concidit univerſa ejus corporis compages, jam contremiſcit cor exhauſtum viribus.

338. Qua ratione idea corporea animum, qui verus eſt ſpiritus, queat conturbari? quave iſte præter voluntatem poſſit liquorem nerveum, in cor fluentem, in quod nullam prorſus habet poteſtatem volens, nunc

cum

cum impetu propellere; jam vero multum retinere? &c. nemo concipit, opinor. Sat proinde nobis esse debet, scire ea; commoto per ingratas gratasque ideas animo evenire, etsi, quomodo contingant, haud mente consequamur.

339. Sex communiter numeramus animi pathemata, amorem nempe, iram, gaudium, tristitiam, spem, & denique metum. Horum tria sunt animo grata, amor utpote, gaudium, & spes; cetera vero tria ingrata, ac animum, & simul organismum conturbantia.

340. Præter istam pathematum divisionem habet ea quoque locum, quæ est ab istorum effectibus desumpta, in calida videlicet, & frigida. Amor, ira, gaudium, & spes, quia humorum adaugent motum, dicuntur calida; tristitia vero & metus ex ratione contraria vocantur frigida.

341. Amor, gaudium, & spes, nisi priora duo nimis valida fuerint, in æqualem fere gradum extollunt fluidorum in vasis cursum, in eum scilicet, qui est paulisper major organico, æqualem & diutius continuantem, ex quo calor una corporis fit aliquantum vehementior, secretiones item cum excretionibus copiosiores, atque multa simul spirituum in musculos omnes totius corporis determinatio. unde gaudentes propensi sunt ad cantandum & saltandum &c.

342. At vero si amor & gaudium excedant limites moderationis, humores exagitant admodum, digestionem cum ceteris coctionibus & secretionibus confundunt, delentque appetitum in esculenta. Spes autem, etiam maxima, quaslibet organismi actiones in debito semper conservat ordine; unicum malum, quod ista secumfert major, est somnus inquietus.

343. Discrepant trita hæc animi pathemata etiam in eo, quod gaudium vehemens, & subito exortum, hominem, veluti testantur exempla, enecet plane. Amor porro major, diutius perdurans, enervat amantem.

344. Ira deinde tanto cum impetu propellit liquorem nerveum in quoslibet corporis musculos; in cor ita, ut id se fortissime celerrimeque constringat: in reli-

liquos autem musculos adeo, ut corpus universum rigeat, tumeat, & in sudorem usque excandescat.

845. Observatum est quoque infantem epilepsia esse comprehensum, qui frendentis ira nutricis duxerat ubera; item ab irato per morsum alteri lethale fuisse inflictum vulnus. Casus isti, nescio, utrum non sint indicio, ipsos per iram everti humores. & venenatum quasi induere genium? mirus profecto & non satis explicandus pathematis istius effectus!

346. Opinantur quidem non nulli, effectum iræ provenire ab exagitata per eam, & ad humores perducta bile. derivant assertum hoc suum a nausea, vomitu bilioso, oris amarore, & diarhea, &c quæ iram sequuntur non raro. Qua de causa dabant etiam ad exstinguendas hujus pathematis molestias purgantia, queis bilem, ut ajebant, eveherent succensam. Verum si in animadversionem ducimus, effectus iræ haud quaquam tales esse, quæ bili attribui possent in sanguinem delatæ, atque purgantia tanto minus sustulisse commemorata iræ symptomata, iratoque fuisse opitulata, ut maximos potius, docente frequenti experientia, & pertinaces suscitaverint morbos; perspicimus, effectus iræ non esse bili per eam concitatæ adscribendos.

347. Tristitia videtur absumere spiritus, aut saltem admodum imminuere eorum influxum per nervos in cor ceterosque corporis musculos. Nam cordis in hoc pathemate contractio est valde debilis & tarda, respiratio anhelosa, pallor faciei, frigus totius corporis, magnus reliquorum musculorum languor, coctiones & secretiones inhibitæ, appetitus deletus, somnus turbatus, judicii acumen fractum & similia.

348. Metus demum videtur inordinate prorsus, & simul paucum dimittere liquorem nerveum in cor & musculos reliquos, ex quo cordis fit palpitatio, respiratio anxia, tremor totius corporis, spastica quorundam musculorum contractio, frigus partium corporis externarum, & calor urens internarum, sudor frigidus, pallor faciei, coctiones & secretiones eversæ, & sic porro.

349. Hæc præter animi pathemata ſunt adhuc alia non pauca, ut odium, invidia, vindictæ ſtudium, zelotypia, miſeratio, & ſimilia. Verum iſtæ ceteræque animi affectiones videntur eſſe ex nunc adductis veluti compoſitæ, ut odium ex ira & triſtitia, prævalente tamen ira; zelotypia ex ira, metu, & amore, dominante ſuper reliquas metu, & ita de ceteris.

350. Vis compoſitorum, ut ita dicam, ejusmodi pathematum in organiſmum non eſt tam facile exponenda, quam ex ſingulorum effectis depromi poſſit. Immo enarratis allatorum ſex pathematum effectibus, notataque eorum poteſtate in organiſmum, ſuperfluum eſſe exiſtimavi deſcribere turbas, quas reliqua pathemata concitare ſolent.

351. Terrorem adnumerant quoque medici animi affectionibus. Certum quidem eſt, eum terrore prorſus conturbari; aſt non videntur effectus affectionis iſtius ab ipſa concitari anima, velut in ceteris accidit pathematibus, ideam ingratam removere adnitente, ſed potius per unicum violentum impulſum automaticum, in ſenſorium commune per nervos ſenſuum, cum primis auditus, factum, concuti ac commoveri univerſum ſyſtema nervoſum.

352. Haud minus, quam hucuſque recitati, admirandi ſunt effectus, qui per imaginationem generantur, aut foventur. Dum mulier valde mobilis videt ægrum medicinas epotantem, tantam capit abinde in animo ſuo turbam, ut ipſa purgetur. Similiter gravida, ſi fructus cujuspiam arboris deſiderio prehendatur, eoque potiri nequeat, æternum imprimit ſæpe fætui nævum, expetiti fructus figuram referens.

353. Vidimus hucuſque noxios animi pathematum effectus: diſquiramus jam, utrum iidem non utilitati quoque interdum organiſmo eſſe queant? Non eſt enim quidquam adeo perniciofum, ut non etiam aliquando proficuum eſſe poſſit. Verum ita ſane animi quoque pathemata videntur eſſe comparata. Quoniam mediocris humorum per iram exagitatio non poteſt ſenibus, & quorum temperies eſt admodum frigida, non eſſe ſalubris; nihil deinde reprimit iram potentius; quam

metus, nihiloque magis infringitur plethora; quam triſtitia. Et ſic de ceteris.

354. Referuntur præterea paſſim ab authoribus medicis caſus permulti, unde conſtat, tenaciſſimos et nullis prorſus obtemperantes remediis per iram, amorem, metum, aliaque pathemata feliciter fuiſſe radicitus evulſos. Caſus ejusmodi ſunt hodiedum adeo frequentes, ut ſint omnibus propria obſervatione noti.

355. At non utiles ſolum ſunt interdum animi affectiones, ſed cuivis hominum prorſus neceſſariæ. Niſi enim gaudio excitaremur ſæpius, ideæ triſtes non devitandæ, neque ulla ratione fugandæ, peſſimas ſæpenumero generarent in nobis affectiones corporis. Spes dein eſt cuique hominum ad tuendam ſanitatem adeo neceſſaria, ut etiam in proverbium abierit, quemlibet hominum ſpe ali debere.

356. Tertia poteſtas animæ in organiſmum ſita eſt in cogitationibus ſive in meditatione. Labor iſte mentis, qui pariter in diverſo non explicando ſpirituum motu conſiſtere videtur, non poteſt non exerere ſæpe vim in organiſmum.

357. Dum quis ſe ſtudio accingit, ac librum v. g. abſtracta continentem perſcrutandum ſuſcipit viribus dives & vegetus, ſubſiſtit primum, ſi ambulet inter legendum; quærit paullo poſt, quo graveſcens ſuffulciat ſuum corpus; aſt neque hoc, etſi ſuffultum, valent diu ſuſtinere erectum vires ſuperſtites, ſedebit proinde brevi poſtea. Non multo abinde ipſi etiam per dorſum decurrentes muſculi indicant meditanti, privari ſe ſenſim liquore ſuo, nonque ultra ſufficere elevato conſervando corpori. Hinc jam dorſo quoque et capiti adhibet fulcrum; idem porro accidit muſculis etiam manuum. Neque ſenſibus externis parcet ſtudium. Quoniam per hoc intenſius tantopere obſtupeſcunt eorum organa, ut meditationibus immerſus vix aliud, quam librum ſuum, videat, vixque ſentiat aliunde corpori illatas injurias. Cuncta iſta clare demonſtrant, per meditationes & ſtudia abſumi maximam ſpirituum copiam, atque diſſipari.

358. Maximam hanc ſpirituum conſumptionem per ſtudia conjicimus evidentius adhuc ex eo, quod inter meditandum perferantur copioſi ac ſolito plures humores ad caput, ex quibus ſegregantur ſpiritus, ad continuanda ſtudia neceſſarii. Non pereunt ergo per cogitationes ii ſolum ſpiritus, qui adferuntur a ſanguine viribus organiſmi; ſed ſpiritus etiam, qui omnibus quaſi humoribus admixti ſunt; ſiquidem copia fluidorum eſt maxima, quæ ad caput ſub ſtudiis promovetur. Friget enim, & lanquet corpus ſub ſtudiis univerſum, calente unico capite.

359. Per immodicam inter meditandum liquoris nervei conſumptionem, nemo non videt, fieri debere, ut eorum, qui literis diu multumque vacant, frangatur admodum vis digeſtionis, retardetur alvus, corporisque totius pereat robur, nervi debilitentur non mediocriter, ſecretionesque imminuantur &c. unde humores degenerari, cruditates aggregari, viſcera obſtrui, & cuncta corporis peſſum abire, eſt neceſſe.

360. Quanto quis igitur magis inſiſtit ſtudiis, tanto magis frangit ſuum corpus; & quanto pluribus ſcientiis animum ſuum exornare enititur, tanto plus detrahit organiſmo. Qui proinde ſanitati ſuæ conſulere vult, ſtudiis figat limites, caveatque copioſos, & cum primis tantos, ut ipſe organiſmus eorum incurrat penuriam, meditando ſæpius diffundere ſpiritus.

361. Ex his deſumere licet, quo intellectu dicatur animus ſui corporis inimicus? Quotidiana nos docent exempla, plurimorum eruditorum mala ab animo primam ſuam deducere originem, docentque eundem per ſtudia diu protracta multorum jam ſapientum perdidiſſe organiſmum vitamque.

362. Elucet non minus exinde ratio, cur homines, qui ab omnibus meditationibus vacuam, & a majoribus curis alienam, interque moderata et grata quotidiana corporis exercitia vivunt vitam, appetant diverſiſſimi generis cibos, eosque cito & rite digerant? cur optime valeant, viribus abundent, aeris ceterorumve rerum injuriis facile reſiſtant, et libera diu fruantur ſanitate? item cur animalia quælibet eſcam,

quæ fæpius eft crudiffima & tenaciffima, rite fubigant? hujus enim caufa præcipua effe videtur, quod beftiæ liquorem nerveum, potentiffimum digeftionis inftrumentum, cogitando non ammittant.

363. Quantumvis autem animus dicatur fui corporis inimicus, idque fæpius peffundet; nifi tamen fe ipfi præbuerit amiciffimum, immo folicitum cuftodem; nifi, inquam, animo curæ fuerit fuus organifmus, eumque adverfus lædentia defenderit, & nifi oppreffo vel fracto fuppetias tulerit, ifte brevi temporis intervallo a malis, ipfum conftanter impetentibus, contcretur univerfus.

364. Anima ergo tutetur fuum corpus, ejusque fedulam gerat curam, non alia ei concedat, quam quæ natura depofcit, torpentem erigat organifmum, lanquentem inftauret, conturbatum in ordinem reducat &c, oportet. Hæc fi præftiterit, non nuncupabitur amplius fui corporis inimicus, fed confervator.

365. Diximus non longe abhinc, animum per cogitationes & ftudia peffime fæpius afficere fuum organifmum. Verum funt & cogitationes, folicitudines, & ftudia, fi dirigenti fubfint rationi, utiliffimæ non raro corpori. Non capit enim folummodo animus voluptatem e ftudiis maximam, quæ fumme proficua eft organifmo; fed abfumit fimul etiam fuperfluos per ea fpiritus, multorum malorum auctorem. Si equo v. g. bene pafto per repetita exercitia nimius nervorum humor non fubtrahatur, fub freno retineri recufat. At fi in ifto in nimium pauco temporis fpatio increfcit fpirituum copia, quanto non citius, & quanto non in majorem excrefcet copiam hic idem liquor in homine, qui opipare vivit, corpus fuum cibis quotidie replet tenerrimis & facile permutandis, otiaturque, & cujus alioquin majoris, quam reliquorum animalium, molis cerebrum absque intermiffione perficit fpiritus copiofiffimos.

366. Quamdiu vigilamus, percipimus objecta per nervos fenfuum, cogitamus, ratiocinamur, diverfosque pene conftanter movemus mufculos. Verum dum dormimus, funt fenfus externi omnis perceptionis expertes,

tes, ſilent quoque interni, & non unicus agit muſculus animalis. Anima ergo, quamdiu vigilamus, operatur ſemper, & dum ſomno ſopiti procumbimus, vacat ab omni actione.

367. Sunt quidem non nulli exiſtimantes, animam, cum ſit verus ſpiritus, non poſſe deſiſtere ab agendo, ſed debere dies noctesque operari, operarique reipſà, tametſi id haud advertamus. Verum ſi de anima, quantumvis ſit ſpiritus, dici poteſt, poſſe corpore ſuo coerceri, licebit certo etiam aſſerere, eam, etſi eſſet vere ſpiritualis, poſſe tamen quandoque extra actionem conſtitui: at ſi poteſt; merito conſtituemus eam quoque extra actiones tempore ſomni, cum nullæ obſerventur, quæ alias illico patent.

368. Poteſtatem animæ in organiſmum ex dictis adeo claram eſſe judico, quam quod eſt clariſſimum, ſatisque hactenus demonſtratum puto, quatenus ea actiones organiſmi promovere, conturbare, reprimere, & ſiſtere; humores in diverſas corporis partes propellere; ipſumque univerſum perdere valeat.

369. His adnectendum eſt, variare vires animæ ratione diverſæ conſtitutionis organiſmi. Quandoquidem majorem ſemper habet vim anima in corpus debile, quam forte, citiusque, ut norimus, enervatur homo per ſtudia, cujus corpus eſt tenerum, quam is, cujus eſt robuſtum; ocyus dein etiam compeſcet animus excultus conturbatum per pathemata humorum motum, quam rudis.

370. Animæ poteſtatem in naturam perſpicit is, qui attendit, quantum naturam cogere poſſit ad agendum, & quantum ei obſiſtere. Concitabit nempe animus naturam ad movendos v. g. inſtinctus famis, ſitis &c. quotiescunque per muſculare corporis exercitium diſſipaverit liquidum humorum diluens, aut plaſticum contriverit nutriens; reſiſtet autem naturæ, dum erecto ab ea deſiderio ſatisfacere recuſat.

371: Habet deinde animus poteſtatem deſtruendi genitum in nobis vel aſſumptum acidum per alcalina & abſorbentia; & e converſo putreſcentia per acidum; ſpiſſa porro quoque attenuandi per ſolventia, acria

obvolvendi per ſpiſſa, & ſic de reliquis. Habet ergo poteſtatem in heterogenea quoque maximam.

372. Cum igitur incumbat animo, ut procuret ſanam ſui corporis conditionem atque organiſmi, naturæque moderetur actiones, non inepte prorſus aſſimilabimus illum, hoc in ſuo munere verſantem, aurigæ, vel equitanti. Sicuti nempe dirigendus eſt equus ab inſidente, atque modo calcaribus excitandus, modo refrenandus, nunc dextrorſum, jam vero ſiniſtrorſum flectendus habenis: ſimiliter debet animus ſuum dirigere organiſmum, ejusque humorum itum modo accellerare, modo reprimere, jam iſtos ad inteſtina, jam ad peripheriam corporis &c promovere.

373. His præmiſſis eſt in aperto, quid ſcientia ſive ars poſſit medica, quidve debeat in conſervanda, & recuperanda corporis valetudine, quamque perperam opinentur, agantque Medici, qui artem ubique & in omnibus morbis naturæ pediſequam eſſe debere perhibent, iſtique unquam reſiſtere nefas arbitrantur, artem ideoque plus excolere negligunt.



CA-

CAPUT SEPTIMUM.

DE QUARTA CAUSA GENERALI SIVE DE CORPORIBUS ALIENIS.

374. Heterogeneum eſt omne corporeum, quod afficit organiſmum,
375 omnis nempe cibus, medicamen, venenum &c.
376 Afficitur autem organiſmus ab heterogeneis conſtanter.
377 Hinc utile eſt de iſtis differere aliquantum.
378 Deprehendimus inſuper etiam per eorum effectus morborum cauſas.
379 Non conſtitui pertractare materiam medicam,
380 ſed referam ſolum modum inquirendi in effectus heterogeneorum.
381 Quocirca dico primo accuratam cujuslicet remedii doſim eſſe adnotandam,
382 cujus quidam medicorum ſæpe non habent rationem;
383 Vires dein heterogeneorum pendent a varia corporis humani conditione.
384 Unde eſt, quod medicamina exerant aliquando effectus oppoſitos iis, quos ipſi therapia tribuit.
385 Quodve optima remedia evadant quandoque venena peſſima.
386 Vis itaque heterogeneorum eſt conformis irritabilitati nervorum, quos tangunt.
387 Edit præterea quodvis heterogeneum effectus in nobis peculiares,
388 ac proprios,
389 qui ſunt ſigna latentis in corpore cauſæ.
390 Dividenda ſunt primum heterogenea
391 in ſimplicia,
392 & compoſita.

393 Multa, quæ ſimplicia vulgo dicimus, ſunt compoſita.
394 Effectus heterogeneorum ante omnia connotandi ſunt ſimplicium,
395 variata doſi propinatorum.
396 Effectus compoſitorum eſt ſemper unicus,
397 qui mutatur permutatis ſimplicibus, remedium componentibus.
398 Diviſio altera heterogeneorum ſit in ea,
399 quæ vim agendi habent a ſe ipſis;
400 & in illa, quæ vires ſuas ab organiſmo obtinere debent.
401 Priorum vires mutantur ſæpe per organiſmum.
402 Hinc in definiendis heterogenei viribus circumſpectione opus eſt.
403 Alia præterea heterogenea ſinunt ſe immutari ab organiſmo; alia vero non:
404 Illa ſive nutrientia etiam blandiſſima venenatum aliquando induunt ingenium.
405 Quocirca non unicum eſt alimentum de ſe ſalubre.
406 Dividenda ſunt item heterogenea in ea,
407 quæ ſuperficiem ſolummodo afficiunt corporis; & in illa, quæ in vias ſecundas ingrediuntur.
408 Quid utilitatis ex hac diviſione redundet in praxim? perſpicit omnis.
409 Non eſt autem externa tantum ſuperficies intelligenda, ſed interiores quoque.
410 Heterogenea, quæ ſolam movent ſuperficiem, ſunt multa,
411 quibus etiam oleoſa ſunt adnumeranda
412 ſuadentibus obſervationibus.
413 Ex eo patet, quam parum poſſint abſorbentia, ſi acidum ſit in viis ſecundis;
414 & mucilaginoſa ſpiſſa in morbis pectoris;
415 atque acida fortia in putridis.
416 Heterogenea, quæ vellicant ſuperficiem, exagitant ſimul partes internas conſentientes.
417 Ea, quæ intrant in circulum, ſunt etiam varia.
418 Ex quo liquet, cur modicum efficiant ſæpe decocta ſaturata?
419 Sunt demum heterogenea, quæ pro parte ſolum ſe inſinuant in interiora corporis;
420 ex quibus deſumuntur quorundam ratio,

421 Diſtri-



CAPUT SEPTIMUM.

DE

HETEROGENEIS.

374. Heterogeneum voco omne illud corporeum, quod organismum aut animam afficit, causando molestias, dolores, motum in humoribus; sive inducendo suavitatem, instaurationem, refrigerationem &c. id est: quodlibet corpus, vires suas in organismum exerens, quod non est pars ipsius organismi.

375. Est nobis proinde heterogeneum aer ambiens, cibus, potus, omne reficiens, omne medicamentum, venenum, ipsi quoque humores inquilini corrupti, stagnantes, quod alienam assumpserunt indolem, & quidquid est ejusmodi.

376. Cingimur aere nunc plus, nunc minus premente, nunc puro, jam diversissimis alienis corporibus scatente. Omnis dein generis sunt esculenta & poculenta, quibuscum varia deferuntur in sanguinem acria stimulantia, spissa, multiplici ratione organismum moventia. Hinc est evidens, organismum constanter affici ab heterogeneis.

377. Cum autem quodlibet corporeum, sive genitum in corpore nostro, sive in id delatum, seu extrinsecus ipsi admotum, adeoque etiam quævis causa morbi corporea, unumquodque remedium, quodlibet nutrimentum &c sit heterogeneorum classibus comprehendendum; clarum est, utile esse quam maxime, de iis studiosius tractare, eorumve effectus ac vires discutere, & æstimare.

378. Si præterea heterogeneorum effectus nobis intime notos reddiderimus, non comprehendemus solum

lum genuinas ſingulorum vires in organiſmum, ſed cognoſcemus inſuper etiam ex ſymptomatibus, ſive effectibus cauſæ morbificæ hanc ipſam. Nam ſi noſcimus effectus heterogenei cujuslibet, abſque omni dubitatione exiſtimare poterimus, occurente effectu ſingulari, materiam certam, notati effectus cauſam, exiſtere in corpore noſtro. Sic ex ructu rancido inferimus pingue ranceſcens viribus eſſe ſuperiorem in ventriculo.

379. Opinabitur forſitan aliquis, me mecum conſtituiſſe, materiam hic pertractare medicam, aut expectabit a me fortaſſis effectus certos, ſive ſigna certa cauſarum morborum? At neutrum eſt, quod in hoc capite proponere induxi in animum. Illud enim foret tædio maximo; iſtud autem non eſt hujus loci; & utrumque non capitulum, ſed volumen depoſceret.

380. Ea, quæ de heterogeneis referre, non inconvenientia fore, ſum arbitratus, non ſunt alia, niſi ſolum generalia, & non tam heterogeneorum effectus, e therapia ſatis cognitos, recenſentia; quam potius tum partes organiſmi, in quas ſuam impendunt vim, indicantia: tum etiam non nulla, ad vires heterogeneorum ſpectantia, quorum medicum ſemper meminiſſe oportet. Enitar videlicet exponere modum, quo ego in adnotantis heterogeneorum effectibus, quos ſigna pathognomica cauſæ morbificæ nominamus medici, ſum uſus. Notanda circa heterogeneorum vires ſint iſta.

381. Remediis ſolventibus adnumeramus ſalia v. g. media; inter antiſpaſtica et ſoporifera præcipuum, ſcimus, ſibi vendicare locum opiata, & ſic porro. Verum tanto minus reſolvent ſpiſſum in corpore ſalia, tantoque minus compeſcet opium ſpaſmos, ſi medicus in iſtorum exceſſerit doſi, ut illa potius, corpus nimium purgando, obſtructum magis adhuc indurent; opiata vero anxietates plus augeant, inducantque nauſeam & vomitum. Ad hoc igitur, ut a remediis vis illa, quam ipſis attribuit therapia, ſperari liceat, & obtineri poſſit, accurata cujusvis eſt obſervanda doſis, & adhibenda,

383. Vul-

382. Vulgarem & ipsis tyronibus in medicina notam hanc regulam non alia de causa adferendam duxi, quam ut ipsam revocarem medicis illis in memoriam, qui mirantur, cur solventissima remedia, & simul copiosa obstructiones non reserent vasorum? aut quare opiata, majori dosi ægris propinata, quorum esset compescere spasmos et vomitum, eum magis adhuc promoveant?

383. Scimus quoque experientia frequenti, quosdam hominum a leni purgante multoties compelli ad exonerandam alvum; contra vero alios vix moveri a fortissimo. Norimus item, purgantia mediocria, cumprimis salina in corpore non admodum mobili resolvere; his paullulum acriora movere lotium; validiora vero alvum; & demum admodum fortia ciere vomitum: per vinosa dein refici debilem. At si debilitas nata sit a calore febrili, a plethora, vel humorum spissitudine, eam adaugere. Vis igitur medicamentorum, ceterorumve heterogeneorum dependet plurimum a peculiari dispositione corporum ægrorum, ista assumentium.

384. Fluxum menstruum promovent modo calefacientia, nunc refrigerantia, modo relaxantia, jam vero roborantia &c. Ea ergo, quæ causam auferunt retenti fluxus, merentur nomen Emmenagogorum. Amara movent appetitum in cibos, quapropter etiam stomachica audiunt; Verum si apepsia orta sit a bile acri v. g. regressa in ventriculum, infringet ipsum magis. Et sic de aliis. Effectus proinde heterogeneorum variant multum ratione causæ, morborum affectionem inducentis.

385. Deprehendimus etiam inter mortales tam peculiarem nervorum indolem, ut quidam a certis heterogeneis miro conturbentur modo. Sic prostant exempla, ex quibus constat, alium intumuisse ab assumptis cancrorum lapidibus, alios convelli ab esu hepatis cujuvis animalis, quorumpiam everti ventriculum per certam pomorum speciem, fraga &c, alios rursum ab aliis tum cibis, tum remediis pessime affici. E similibus casibus patet, heterogenea, quæ alias inter egre-

gia

gia recensentur medicamina, venenatas, ut ita dicam, induere vires in iis, quorum nervi similium heterogeneorum affectionem haud perferunt.

386. Neminem præterea medicorum latet, adeo singularem esse in unoquoque homine nervorum sentientium conditionem, ut singuli re peculiari delectentur, atque id, quod uni gratum est, sit alteri ingratum, quodve aliquem reficit, conturbet alterum. Effectus itaque heterogeneorum sunt pro diversa nervorum corporis, in quo agunt, constitutione prorsus dispares.

387. Quodlibet odorem spargens imprimit singularem & sibi proprium sensum in nervos olfactus ita, ut solo odore discerni possit a ceteris. Quid significat autem dispar iste odor? Non utique aliud, quam disparem ac peculiarem a singulis heterogeneis factam impressionem in nervos sensuum. Edit ergo unumquodque heterogeneum motus in corpore nostro singulares ac sibi proprios.

388. Si effectus spectemus, quos producunt in nobis aqua, vinum, ejus destillatus igne spiritus, acetum, opium, cortex peruvianus, mars, mercurius, &c fateri cogimur, esse omnino peculiares sive tales, quos a non uno alio remedio exspectare licet. Exerit igitur quodvis fere heterogeneum effectus singulares ac proprios.

389. Hos ipsos effectus peculiares, judico, esse eos, qui genuinas singulorum heterogeneorum indicant vires, & ex quibus, dum occurunt in morbis, existimare licet, heterogeneum, cujus solius effectum notatum esse scimus, existere in corpore ægrotantis: Istos, inquam, quos symptomata vocamus in morbis, posse haberi pro signis pathognomicis causarum morborum. Sic rubedo major gingivarum signum est scorbuti; sic roseus faciei color est signum materiæ purulentæ, sanguini permixtæ.

390. Ad uberiorem similium effectuum, sive signorum pathognomicorum notitiam obtinendam necesse est, dividere heterogenea in classes, & quidem primum in simplicia & composita. Alios utique ponunt effectus sim-

ſimplicia, & alios compoſita, cumprimis ſi iſta fuerint pluribus ſimplicibus, aut etiam, ut ſæpius fit, contrariis conſtantia.

391. In claſſem ſimplicium redigenda ſunt olea preſſa, deſtillata, & empyreumatica, reſinæ, pinguedo animalium, mucilaginoſa, omnis generis ſalia, acida fermentata, foſſilia, ſucci vegetabilium, humores animalium, liquores vinoſi, ſpiritus eorum ardentes, aqua, mel, abſorbentia, calor, & frigus.

392. Compoſita ſunt, quæ ex horum duobus coalent aut pluribus. Numerus iſtorum, quemadmodum omnis perſpicit, eſt prorſus infinitus. Siquidem ipſa remedia, quæ alias ſimpliciſſima dicuntur, ſunt reipſa compoſita. Ita infuſum unius herbulæ compoſitum eſt remedium ex ſucco videlicet herbæ & aqua: & ſi calide aut frigide ſumatur, adeſt ſimul calor aut frigus, infuſum una componens.

393. Pro compoſito etiam habendum eſſe hujuſmodi infuſum, patet omnibus. Alium enim ingerit humoribus motum, ſi fortius; & alium, ſi mitius: alium deinde calide; alium frigide ſorptum. Hinc ſingulorum ſimplicium, remedium compoſitum conſtituentium, eſt habenda ratio.

394. Si igitur medicus rectam heterogeneorum virium agnitionem ſibi comparare velit, neceſſe eſt, ut ante omnia ſimplicium effectus & motus, quod unumquodve edit in humano corpore, proprios, rite diſquirat, & reddat ſibi familiares.

395. Adnotandus eſt autem primum motus, quem heterogeneum ſimplex ſuſcitat in nobis, & effectus, quem exerit, dum hoc parca doſi exhibetur; porro ſi manu largiori; & demum ſi copioſum propinetur. Quoniam norimus, veluti ante memineramus, idem heterogeneum, magna copia ſumptum, contrarios ſæpe exercere motus illis, quos a mitiori ejusdem remedii quantitate generari animadvertimus.

396. Tametſi autem quodlibet compoſitum ratione ſimplicium, quibus conſtat, diverſos producat in humano corpore effectus, eſt nihilominus tamen effectus (pace mea dixeris eum eſſe compoſitum) cujusvis remedii

nedii compoſiti unicus & tanquam ſimplex, ſive ut implicis remedii ſumendus. Motus enim, quem medicamina edunt maxime etiam compoſita, non poteſt eſſe in nobis, niſi unicus. Motus iſte videtur eſſe imilis directioni motus compoſiti, quam obtinet v. g. apis a cauſis duabus, inæqualiter in eum agentibus.

397. Hinc in aperto eſt, effectum heterogeneorum, deoque etiam remediorum omnium, eſſe alium, quoiescunque mutatur indoles ſimplicium, tale remedium componentium; ſic v. g. ſi miſcelæ alicui ſolventium & ſimul purgantium addideris paragoricum, alium hæc, tque prius, edet in nobis effectum. Liquet inde quoque, quid ſit opinandum de remedio e cephalicis, pectoralibus, ſtomachicis &c, aut medicaminibus plurium norborum ſpecificis, ſtudioſe conquiſitis, coaleſcente?

398. Altera, quæ pariter aliquem ſibi vendicat locum, heterogeneorum diviſio eſt in ea, quæ vim habent propriam ſive de ſe ipſis; & in illa, quæ vim gendi ſuam ab organiſmo aquirere debent, ſeu quæ iſte in actum deducit.

399. Vim propriam habent potiſſime ſequentia: aer, qua, vinum, ejus ſpiritus igne expreſſus, ſpiritus egetabilium rectores, acida, ſalia, calor, frigus &c uncta videlicet illa, quæ ipſum cadaver, dum ei applicantur, afficiunt.

400. Propriam itaque vim eſſe derogandam heterogeneis iis, quæ cadaver non mutant, nemo inficiabiur. Sunt autem hujus generis omnia pene heterogeea, ſi nunc enumerata demas. Nam ſi unciam integram tartari emetici infuderis in ventriculum cadaveis; ſi univerſam ejusdem ſuperficiem obtexeris acerimo veſicante, nec vomitum, nec veſicam conſpicies.

401. Quantumvis autem prioris claſſis heterogenea iires agendi habeant a ſe ipſis, mutantur eæ nihilominus admodum ab organiſmo, dum in uſum vocantur. Unde vis eorum non eſt talis ſolummodo exiſtimanda, ualem habet a ſe ipſo, ſive quam exerit in cadavere; ſed advertenda, & adnotanda eſt ea, quam habet in corpore humano ſive animato. Sic ſpiritus vini xſiccat quidem globulos ſanguinis in cadavere, vaſaque

ſaque conſtringit; at non compellit ſimul liquida in motum, velut in vivente. Arcet dein ſpiritus iſte corpus, vita privatum, a putredine; aſt vivo conciliat eandem, & ita de reliquis.

402. Hinc palam eſt, haud quaquam ſufficere argumentum ad commonſtrandas herbæ v. g. cujuspiam, imprimis recenter in uſum deductæ, vires medicas, ex variis experientiis, extra corpus humanum factis, petitum. Non ideo certe reſiſtit cortex peruvianus putredini humorum noſtrorum, quia caro bovina, in ejus decocto ſuſpenſa, diu non corrumpitur Hoc argumento forent ſalia alcalina egregia remedia antiſeptica; & potus e converſo ſubcalidus perniciofiſſimus in morbis acutis, & ſic porro.

403. Non prætermittenda eſt quoque heterogeneorum diſtributio in ea, quæ ſe ab organiſmo permutari ſinunt; & in illa, quæ non elidunt ſolum vim iſtius omnem, ſed mutant inſuper ipſum etiam ſive pro parte, ſive in univerſo; atque demum in ea, quæ neque permutantur ab organiſmo, neque eum afficiunt. Primæ claſſis heterogenea vocamus communiter nutrientia; ſecundæ condimenta, refocillantia, medicamenta, aut venena; tertiæ tandem appellamus inertia.

404. Referimus quidem unumquodque heterogeneum ad aliquam dictarum nunc claſſium, verum poſſunt & nutrientia, & condimenta, & medicamenta, ſi inepte adhibeantur, evadere venena peſſima; & viciſſim ea, quibus veneni nomen vulgo eſt impoſitum, optima fieri remedia, ſi rite in uſum deducta fuerint. Apta ergo vel inepta heterogenei uſurpatio definire debet, num iſtud nutrimenti, medicamenti, aut veneni appellatione ſit dignum?

405. Inde liquet non unum inter heterogenea, quodquod illud fuerit, tanquam eximium nutrimentum, aut ut ſemper innocuum, aut ut excellens remedium jure dilaudari; & ex adverſo vix ullum tanquam ſemper pernicioſum damnari poſſe. Eſt unumquodque proinde bonum, ſi debite; & viciſſim malum, ſi inepte fuerit adhibitum.

406. Re-

406. Recensitis iis, quæ de heterogeneorum viribus adferre, consentanea esse videbantur, transeundum jam est ad separanda in classes heterogenea secundum varietatem partium corporis humani, quas afficiunt.

407. Prima eorum partitio sit in heterogenea, quæ vires suas effundunt in unicam corporis humani, cui admota sunt, superficiem, quin scilicet absorbeantur vasculis ejus bibulis; in ea, quæ penitus resorbentur, atque in internas solum corporis partes agunt; & denique in illa, quæ pro parte tantum absumuntur, viresque suas & superficiei corporis, quam tangunt, & internis quoque partibus, ad quas perveniunt, reddunt efficaces.

408. Quid utilitatis redundet in medicinam practicam ex hac animadversione? perspicit, opinor, quilibet. Incassum enim operaretur medicus, si in liquoribus mutationem inducere vellet per medicamina, quæ in vias, ut loquimur, secundas non penetrant; & vanum ex opposito, si partem aliquam corporis irritare volens, adhibet remedia, quæ venis bibulis absorbentur. Si nempe corpus v. g. purgare intendens ea præscribit remedia, quæ secedunt in vasa chylifera intestinorum. Nihil ideoque medico magis necessarium reputo, quam rite distinquere medicamenta, quæ absumuntur a venis haurientibus, ab iis, quæ non ingrediuntur in istas, sive quæ in superficiem solum agunt corporis; & quæ in venas patulas se insinuant, ac humoribus inquilinis admiscentur: nihil quoque utilius, quam nosse modum, quo heterogenea, quibus ingrediendi in vias secundas negatur potestas, in istas perduci queant.

409. Cum superficiem corporis nomino, non intelligo per hocce vocabulum externam tantummodo, sed internas quoque, veluti est superficies oris, pulmonum, totius canalis intestinalis, uteri, & vesicæ, ad quas omnes medicamina, quæ vulgo externa vocamus, referri possunt.

410. Solam corporis superficiem afficiunt omnia illa, 1*mo* quorum diameter major est, quam sint ora vasorum resorbentium, ut est aer crassior, terræ ab-

ſorbentes, cibi non ſatis attenuati, &c. 2do quæ oſcula obſtruunt venarum bibularum, veluti mucilaginoſa, & ſimilia ſpiſſa; 3tio quæ hæc vaſcula conſtringunt, & ſibi ipſis ingreſſum in ea præcludunt, ut acida fortia, acerba, & hujusce generis plura. 4to demum, quæ alliciunt humores ſuo ſtimulo, ut acria, purgantia, & ſimilia irritantia.

411. Olea quoque ac pinguia videntur eſſe talia, quæ oſcula vaſorum chyliferorum obliniunt, & obſtruunt. Inde enim eſt, opinor, quod olea preſſa multis, iis nempe, quorum bilis eſt minus acris, non ſatis ideoque oleoſa reſolvens, alvum reddant lubricam; minime vero ceteris ſive illis, quorum humores ſunt multum ſaponacei, aut multo ſale inquinati.

412. Suffragantur opinioni huic ipſa obſervata, ex quibus conſtat, oleoſa & pinguia minus ranceſcere in ventriculo, minuſque eum gravare, ſi ſalibus, ſacharo, & ſimilibus fuerint permixta. Demulcent quoque olea blanda magis pectus, ſi ſaccharo aut melle ſint prius rite ſoluta; quam meraca.

413. Ex hac heterogeneorum diviſione deſumimus, quid valeant abſorbentia, dum acidum infringendum ipſis humoribus circulantibus eſt admixtum? quidve in morbis acutis, etſi eorum cauſam juxta mentem Helmontii acidæ ſemper indolis eſſe, admiſerimus?

414. In aperto eſt dein pariter, mucilaginoſa & ſpiſſa ad acre, quod pulmones vellicat, involvendum data, parum iſtis poſſe opitulari, ſi non fuerint antea ſatis in ventriculo, vel jam extra eum diluta.

415. Elucet item, quantopere fallantur medici, qui, ut putridam in morbis materiem, quamprimum fieri queat, enervent, copioſa & fortia ſimul acida ægrum potare jubent? Hi certe tanto minorem perferent ſui medicamenti copiam in ſanguinem, tantove minus conſequentur optatam remediorum vim antiſepticam; quanto plus acidi fuerit medicamento permixtum. Patet exinde quoque ratio, cur adſtringentia fortiora alvum aperiant potius; quam conſtringant?

416. Diximus quidem antea, heterogenea, quæ non abſorbentur, agere in ſolam ſuperficiem corporis.

Ve-

Verum non eſt id ita ſumendum, quaſi nullam præterea haberent vim in interiores organiſmi partes. Eſt utique univerſa tum interna, tum etiam externa corporis ſuperficies inſtructa nervis ſentientibus, qui, per admota irritantia concitati, aliquando ſolam partem, quæ cum irritata conſpirat, in conſenſum rapiunt; quandoque autem integrum exagitant ſyſtema nervoſum: adeoque etiam univerſum organiſmum, ut emetica, purgantia, inflammantia &c.

417. Heterogenea, quæ ingrediuntur in oſcula venarum patentia, ſunt venena ſubtiliora, in aere volitantia, morborum Epidemicorum frequentes cauſæ, ſalia, rectores vegetantium ſpiritus, atque per fermentationem nati, mercurius, aquoſa, & quæquæ diluuntur aqua, & in hac ſuſpenſa retinentur, niſi fuerint admodum acria, valde acida, acerba, vel multum ſpiſſa.

418. Hinc exiſtimandum eſt, quid a ſuis remediis ſperare poſſint Medici illi, qui decoctiones vegetantium ſaturatiſſimas præſcribere habent in conſuetis? De corticibus ſane, radicibus, & herbis, quas decoqui jubent, non plus perveniet in ſanguinem, quam quantum aqua dilutum ac ſuſpenſum tenetur. Omne reliquum abit in fæculenta. Bonum eſt, quod pharmacopæi ejusmodi præſcriptionibus modum imponere ſciant, imponantque.

419. Recenſitis duabus heterogeneorum claſſibus clarum eſt, quæ ſint claſſis Tertiæ ſive illius ad quam pertinere diximus ea, quæ pro parte ſolum reſorbentur. Sunt utpote aut ex utriuſque claſſis heterogeneis compoſita, aut ſunt ſimplicia, quorum pars ſolum eſt ſatis attenuata, ſatis diluta.

420. Tertia iſta heterogeneorum claſſis demonſtrat cauſam, cur voraces ſint potiſſimum macres? cur obeſi ſuam conſervent pinguedinem, etſi parum comedant? quia nempe in illis maxima ingeſtorum pars non ſoluta expellitur rurſum per alvum; contra vero in obeſis modicum, quod aſſumunt, defertur in circulum, & mutatur in pingue corporis.

 421. Di-

421. Distribuenda dein sunt heterogenea in ea quoque, quæ vires suas dirigunt in unicum organismum, intactis nervis animalibus, immutataque natura; in illa, quæ solos afficiunt nervos animales absque ulla mutatione in organismo; & denique in ea, quæ utriusque systematis sive utriusque, ut loquitur Sydenhamus, hominis tam interni, quam externi nervos exagitant, pluresque simul pertrahunt in actionem potentias.

422. In solum organismum agunt heterogenea, quæ vasis & fluidis mutationem inducunt, quin tamen istam advertat animus. Talia sunt alimenta facile digerenda, aqua tepida, olea blanda, mucilaginosa, leniter solventia, absorbentia, roborantia, mars; mercurius, & similia.

423. Animam lacessunt, & movent unicam heterogenea, quæ solos nervos vellicant sensuum externorum, ut est fluidum æthereum, quod oculum inflammatum acerbe ferit, dum ad eum admittitur, sive lux, aer, odorata, sapida, acria generis omnis, si nervos tangunt unicos sentientes. Ejusdem classis sunt ea pariter, quæ sensus mutant internos, ut narcotica, & quæcunque reminiscendi, aut judicandi evertunt facultatem.

424. Heterogenea, quæ utrunque simul hominem, animam scilicet & organismum exagitant, sunt triplicis speciei. Aliqua eorum perturbant organismum per nervos animales, prius exacerbatos; Alia movent animam per mutatum antea organismum; & denique alia adoriuntur illico utramque simul potentiam.

425. Conturbatur organismus per irritatos ab heterogeneo nervos animales, quando istos adeo rodit acre, aut distendit spissum, ut affectio communicetur cum nervis organismi, veluti accidit in terrore aut dolore vehementi, in convulsionibus, animi pathematibus, & sic porro.

426. Concitatur dein animus ab heterogeneis per exagitatum prius organismum, si stimulantia augeant humorum itum, vel refrigerantia eum reprimant adeo, ut animus id sentiat, & ita de ceteris.

427. Or-

427. Organiſmum eodem ſimul & animam tempore invadunt, & afficiunt v. g. vinoſa. Siquidem & humores in motum compellunt, & animum una exhilarant; calor item externus, qui fluida commovet, & reſolvit, inducit ſimul ſenſum caloris; ſimiliter frigus eſt cauſa ſenſus frigoris eo ipſo temporis momento, quo vaſa ſtringit, & liquida inſpiſſat.

428. Omnes tres ſimul potentias exagitant, organiſmum ſcilicet, animam, & naturam purgantia, & quæ veram generant febrem; Critica quoque materies, per naturam ſuo dimota loco, peculiari ſæpe modo perturbat organiſmum & animam, &c.

429. Utilitatem, quæ ex hac diviſione promanat in medicinam, diſpicit, opinor quilibet illico, dum cogitat, quam ſit neceſſarium ſæpenumero, tam lente reſolvere ſpiſſum in humoribus, aut tam placide purgare corpus, ut nervi animales, admodum quandoque irritabiles, non exaſperentur. Non eſt dein etiam quidquam ſcitu magis utile, quam dignoſcere remedia, quæ agunt in humores aut vaſa majora, ab illis, quæ omnes ſuas vires in unicos nervos animales impendunt.

430. Ex diviſione iſta inferimus 1*mo*. Non omnia prodeſſe, quæ ſenſus grate titillant, ut vinum: poſſunt enim obeſſe organiſmo; 2*do* Non nocere e contrario cuncta, quæ ſenſibus diſplicent, vel dolorem augent, quia poſſunt aut vaſis aut fluidis eſſe utilitati; 3*tio* Non quoslibet eſſe ſanos, qui nullam ſentiunt in ſuo corpore moleſtiam, quoniam malum eſt ſæpe ipſis humoribus admixtum, vel latet etiam diu in parte corporis, omni ſenſu deſtituta; 4*to* Neque reipſa morbo eſſe affectum ſemper eum, qui aliquam percipit incommoditatem, ſiquidem cauſa leviſſima, nervulum valde ſenſilem rodens, inducit ſæpenumero ſpeciem ægritudinis; 5*to* Non ſemper juvamen a remediis organiſmo illatum adverti illico, ideoque haud eſſe juvandi facultatem medicamentis denegandam, ſi auxilium non ſtatim cadat in animadverſionem. Reſolventia quippe, roborantia, & ſimilia operantur in corpore, quin ea perſentiat anima.

431. Tertia heterogeneorum diſtributio, a partibus organiſmi, in quas exerunt ſuas vires, deprompta, ſit vulgaris illa, non penitus a nobis prætermittenda, in claſſes, quarum unius heterogenea vim ſuam intendunt in vaſa tantummodo; alterius vero in ſolos humores; & tertiæ in utraque ſimul.

432. Primæ claſſis heterogenea ſunt emolientia extrinſecus adhibita, ſcindentia, rodentia, adſtringentia, roborantia, & ſimilia. Hæc videntur unica, intactis fluidis, permutare vaſa.

433. Ad claſſem alteram pertinent diluentia, ſaponacea, ſalia lenia, & quæ citra turbas reſolvunt, ſubacida, mucilaginoſa, ceteraque inſpiſſantia, mercurialia &c. Iſta mutationem inducunt in humoribus, quin ſolida ſimul afficiant.

434. Tertiæ tandem claſſis ſunt reliqua pene omnia, ut ſpiritus ardentes, qui humores & vaſa exſiccant; Olea relaxant ſolida, & fluida ſimul efficiunt ſpiſſiora; Acida ſtringunt vaſa, & diſſolvunt una humores &c.

435. Neceſſitatem hujus partitionis heterogeneorum multis comprobare eo magis ſupervacaneum eſſe, cenſeo, quo clarius eſt, eam ab omnibus prorſus Authoribus eſſe ſuſceptam, & quia ab omnibus pertractatur, ipſam obiter tantum attigiſſe ſufficiat.

436. Præter commemoratas heterogeneorum diviſiones non inutile fore opinor, adferre diſtinctionem caloris & frigoris (liceat interim utrumque heterogeneis adnumerare, & tanquam corporeum facilioris explanationis gratia contueri) a ceteris heterogeneis propter modum peculiarem, quo ſe inſinuant in corpus noſtrum, iſtudve pervadunt.

437. Singula heterogenea, excepto calore & frigore, non aliter perveniunt in circulum humorum, quam abſorpta oſculis venularum patentium, calor autem & frigus penetrant in intima corporis extra ordinem, & quin opus habeant vaſis attrahentibus, ac in interiora devehentibus.

438. E diſtinctione Iſta patet ratio, cur frigus permaneat ſæpius in extremitatibus, quas primum occupavit, corporis, quin perveniat ad cor? Cur ipſa etiam

oſſa

offa permeet densissima, quin deferatur ad ea per arterias cum reliquis humoribus? Cur peculiarem quoque modum deposcat, si sit rursus expellendum, e partibus scilicet corporis humani conglaciatis?

439. Hæc sunt, quæ de heterogeneis in hocce capitulo adferenda duxi. Haberem equidem adhuc quædam discutienda, uti modum, quo ista in organismum agere videntur, isteque vicissim reagere in illa, ex quorum actione mutua insurgunt effectus, solis hucusque heterogeneis adscripta; item, quæ cortex peruvianus & similia præstare in nobis, & quomodo operari videantur? Verum cum medicamenta, Artis utpote instrumenta, in tertia recurrant operis istius parte, illucque pertineant, eo transferenda retineo.

440. Quidquid de heterogeneis nunc recensuimus, id omne evincit, eorum effectus tum generales, tum singulares nos ducere in rectam agnitionem virium remediornm, atque simul in notitiam plurium causarum morborum. Hinc, opinor, nos tantocyus intimiorem medicamentorum virium intelligentiam, pluraque causarum morbificarum signa pathognomica obtenturos, quanto studiosius institerimus perlustrandis, & connotandis singulorum heterogeneorum effectibus, quos ista exerunt in organismo, vel, si mavis, cum organismo.

441. Haud quidem inficior, conquisitionem istam multis esse difficultatibus irretitam. Verum tametsi hæ sint maximæ, non videntur tamen esse tales, quæ strenua disquirentium medicorum industria pedetentim superari nequirent, & cum investigatio effectuum heterogeneorum sit medenti summe utilis, ne dicam necessaria, deducatque eorum notio medicum in agnitionem causarum morborum absconditarum &c; spesve affulgeat, in istam tandem penetrandi cognitionem, in rite observandis, & acurate adnotandis singulorum heterogeneorum effectibus non viribus ullis parcendum esse judico.

SECTIO SECUNDA.

DE CAUSIS PROEGUMENIS.

CAPUT PRIMUM DE PRIMA CAUSA PRÆDISPONENTE SIVE DE ÆTATE DIVERSA.

442 Considerandæ jam sunt causæ Procatarcticæ in corpore Prædispofito.

443 Siquidem juxta diversam istius conditionem varia est vis illarum.

444 Agemus itaque primum de ætate.

445 Principium hominis figit minima spermatis molecula,

446 ex qua homo increscit in supremum usque vigorem a quo abscedens decrescit sensim iterum.

447 Hinc est evidens, per ætatem corpus varie mutari.

448 Primum, quod de rudimento evolvitur humano, est caput.

449 Unde istud est tanto majus, quanto homo est origini suæ vicinior.

450 Vasa corporis sunt in principio muco similia,

451 Tanto itaque laxiora,

452 tantoque pluribus referta liquoribus, quanto homo minus abest a suo primordio.

453 Accuratum proinde æquilibrium est solum in ætate media;

454 Competens autem est in qualibet.

455 Quanto homo minus abscessit a sua origine, tanto teneriora habet vasa,

456 hu-

456 humoresque tenuiores,
457 & minus compactos,
458 in senectute autem sunt valde mucosi,
459 quocirca caute mercandum est cum sanguine senum.
460 Quo junior est homo, eo majus capit incrementum,
461 plurique indiget alimento,
462 sæpius ideoque etiam est interdiu alendus,
463 quare pueri non sunt ad commedendum itringendi.
464 Appetitus in cibos minuitur cum ætate.
465 Quanto homo vicinior est ortui suo, tanto velocius moventur in corpore humores.
466 Hinc pulsus senum non multum acceleratus magnum notat periculum.
467 Variat etiam fluidorum determinatio ratione ætatis.
468 In puero enim feruntur humores ad caput;
469 post pubertatem ad vasa genitalia;
470 in ætate media ad pectus,
471 veluti patet in exemplis;
472 in senectute ad pedes,
473 & in ætate decrepita ad vias urinarias.
474 Contingunt præterea aliæ quoque mutationes.
475 Quidam enim ajunt, hominem mutari quolibet septennio.
476 Maxima autem mutatio fit tempore pubertatis,
477 & omnino admiranda,
478 cujus rationem nemo perspicit.
479 Accidunt etiam quædam interdum mulieribus effœtis.
480 Ex his clarum est, multas organismum subire permutationes ratione ætatis,
481 notatu maxime dignas.
482 Videamus jam, quid Potentiæ valeant quoad ætatem.
483 Organismi potestas variat multum,
484 atque etiam naturæ
485 cujus vis peculiaris fit jam in embryone conspicua,
486 & in infante,
487 unde desumuntur quæpiam;
488 porro quoque in puero,
489 atque in viro
490 & demum etiam in sene.
491 Varia est pariter potestas animæ ratione ætatis,



SECTIO SECUNDA.

DE VIRIBUS POTENTIARUM IN INDIVIDUIS HOMINUM VARIE PRÆDISPOSITORUM.

CAPUT PRIMUM.

DE ÆTATE DIVERSA.

442. Posteaquam Potentias, quoad exigebat ratio, operisque admittebat compendium, pertractavimus in genere, ordo jam postulat, ut eas consideremus, ipsarumve vires expendamus in individuis nostrum, sive pro discrepantia conformationis organismorum, quæ est in variis varia.

443. Ex instituta hucusque potentiarum disquisitione compertum habemus, singularum vires esse maxime dispares in diversis hominum organismis, atque a natura opem feri non organismo forti, sed languenti, istive majores esse vires, si vasa ejus sint robusta, quam tenera, animam quoque exultam facilius resistere pathematibus, quam rudem, & denique eadem heterogeneorum stimulantium quantitate alio in diversis modo affici organismum.

444. Varietatem istam virium Potentiarum derivant omnes in sano corporis statu a quatuor causis, quas Proegumenas sive Prædisponentes appellat Pathologia, quod

quod diponerent organiſmum & idoneum efficerent excipiendis viribus Potentiarum, quas nominamus cauſas Accedentes ſeu Procatarcticas. Cauſæ quatuor organiſmum diſponentes ſunt Ætas, Sexus, Temperies, & Conſuetudo. His addunt aliqui Plethoram & Inanitionem: Verum cum iſtæ morboſam denotent corporis conſtitutionem, de qua in hac operis parte nobis ſermo non eſt, ad alteram, quo ſpectant, relinquemus ipſas. Hinc de prioribus ſolum tractabimus, & quidem primum de Ætate.

445. E minima ſpermatis molecula increſcit pedetentim corpus humanum in molem, quæ centum cum quinquaginta, & quod excedit, æquat quandoque pondere libras.

446. Poſteaquam conſecutum eſt molem iſtam, inque hoc ſtatu aliquot annorum intervallo perſeveraverat, deficit rurſum, & obrigeſcit inde in annos ſenſim ſine ſenſu iterum ita, ut tandem rigiditate intereat.

447. Incrementum iſtud & decrementum, etſi non alia intercederent, eſt unicum argumento maximo, organiſmum debere varias ſubire mutationes per vitæ decurſum, diverſoque modo eſſe in diverſa ætate diſpoſitum ad excipiendas potentias, in eum vires ſuas effundentes.

448. Partes corporis humani, quæ ante ceteras evolvuntur in recenter concepto ſemine, ſunt cor & caput. In his primus contingit fluidorum motus, primus iſtorum circuitus. Iſta deinde, ſiquidem cum ceteris creſcentibus partibus ſimul increſcunt, magnum interim capiunt incrementum, donec reliquæ mediocre. Hinc eſt, quod caput embryonis multo ſuperet amplitudine ceteras corporis partes, quodve adhuc in infante & puero excedat proportionem ad alias.

449. Inde clarum eſt, hominem habere tanto majus caput uſque ad ætatem, in qua corpus univerſum debitam ſuam obtinuit magnitudinem; quanto eſt origini propior.

450. Rudimenta hominis ſunt muco ſimilia, fluidis ideoque potius, quam ſolidis aſſimilanda. Iſta, poſtquam evoluta ſunt, fiunt firmiora in dies pene per

omnem

mnem hominis ætatem magis magisque ita, ut in æta-e ſuprema ſint rigidiſſima.

451. Hinc deſumimus, vaſa corporis humani eſſe anto laxiora, quanto homo eſt ortui ſuo vicinior; & ontra tanto eſſe rigidiora & firmiora, quanto plus bſceſſit ab eo.

452. Vaſa corporis, quæ in principio erant fluido milia, in longum porro latumque protenſa replentur umoribus, repletaque permanent ad finem uſque vitæ. ſt cum vaſa rigeſcant pedetentim magis adeo, ut in tate decrepita fiant prorſus rigida, neceſſe eſt, eo lures, reſpectu corporis, exiſtere in ejus vaſis humores, uo homo minus abeſt a ſua origine, ſeu eo plus ſu-erari ſolida a fluidis, quo homo eſt junior; & e con-erſo fluida a ſolidis, quo eſt ætate provectior.

453. Quum autem in ætate prima excedant humo-es ſua vaſa, & in ætate poſtrema illi ſint admodum auci, certum eſt, non in alia ætate accuratum exi-ere æquilibrium inter humores & vaſa coercentia, uam tantummodo in media.

454. Accuratum dixi æquilibrium, ut diſtinguerem tud ab æquilibrio, veluti vulgo aimus, reſpectivo, quale, ſanitas perſiſtat, in unaquaque eſſe debet. Non ever-nt ideoque humores æquilibrium in puero, tametſi ccedat eorum copia vaſa continentia. Quippe reſpectu aſorum, quæ ſunt in puero pervia omnia, & liquo-bus replenda, debet eſſe copia humorum in iſto ma-ima, quæ ſi non adſit, turbata eſt æquilibratio, quamvis pioſi adhuc ſupereſſent in ejus corpore liquores: Simi-ter ex oppoſito humores pauci in ſene ſufficiunt implendis ſis, in hoc adhuc perviis.

455. Ex eo, quod corpus humanum e minima mo-cula exſurgat in molem grandem, neceſſario inferen-um eſt, vaſa in principio fuiſſe tenerrima, quæ poſt-facta ſunt ampliſſima, adeoque vaſa eſſe tanto an-iſtiora ante ætatem mediam ſive antequam plenam ſuam nditionem ſunt nacta, quanto homo minus abeſt a o exordio; & viciſſim eo ampliora, quo corpus plus crevit.

456.

456. Humores deinde respondent semper diametro suorum vasorum, tenuiores sint eapropter in homine, quamdiu vasa sunt adhuc tenera, quam in vasis corporis, quod jam plenum suum obtinuit incrementi statum, est necesse: id est, tanto humores esse tenuiores, quanto homo est junior ante ætatem mediam.

457. Non crassiores solum esse liquores in ætate media, quam fuerint in antegressa ætatis serie, sed etiam plus compactos, ipsa svadet credere ratio. Vasa enim firmiora viri magis compingent utique humores suos, quam tenera multum infantis aut pueri.

458. Tametsi autem solida corporis ab initio ad terminum usque vitæ in dies ferme evadant firmiora, magisque obrigescant, non compinguntur nihilominus tamen humores pari ratione, plus nempe quotidie ad finem vitæ. Limites, quos isti observant suæ compactionis, sunt fixi in ætate media seu virili. Siquidem post istam non amplius compinguntur magis, verum neque attenuantur iterum; sed assumunt tenacitatem mucosam frigidam, quæ cum ætate superstite increscit semper.

459. Ex his arguere licet, senes rarius vera, si unicum demas rheumatismum, corripi inflammatione, sed ea sit potissimum spuria, qualis est peripneumonia ipsis familiaris. Patet item, quanta circumspectione sit opus, dum de repetenda in senibus missione sanguinis agitatur quæstio?

460. Surgit in utero matris corpus humanum e nihilo quasi ad magnitudinem librarum circiter quindecim. Ad alias porro obtinendas libras quindecim non jam sufficiunt menses novem, sed tres pene requiruntur anni, & si his alias insuper libras quindecim corpori infantis addere velis, tempore iterum longiori opus habebis adeo, ut asserere cogamur, corpus humanum tanto velocius capere incrementum, quanto est ortui suo propius.

461. At vero si corpus humanum eo majus admittit augmentum, quo minus abscessit a sua origine, sequi-

quitur, ipſum tanto copioſiori indigere alimento ratione ſuæ molis, quanto eſt minus.

462. Verum ſi homo tanto majori nutrimentorum copia opus habet, quanto eſt origini vicinior, æquum eſt, ut tanto etiam major ipſi tunc obveniat. Cum autem ventriculus ſit eo minor, viſque digerens eo infirmior, quo homo eſt junior; neceſſe eſt, ut iſte tanto frequentius nutriatur, quanto minus abeſt a ſuo exordio. Inde eſt, quod infans noctu etiam poſcat alimentum; puer dein non quidem amplius noctu, ſed ſæpius interdiu; juvenis jam minus frequenter puero; vir autem ſatietur ſolo prandio in diem integrum.

463. Hinc elucet, quam inique conſulant ſuæ ſoboli parentes illi, qui iſti, adhuc teneræ & juveni, alimentum interdiu recuſant, aut parciſſimum ſolummodo concedunt; quam dein etiam illi, qui pueros compellunt ad comedendum, dum menſæ aſſidetur.

464. Appetitus in eſculenta non decreſcit tantum uſque ad ætatem virilem, in qua corporis ceſſat incrementum, ſed deficit ſemper uſque ad vitæ terminum. Nec mirum, quoniam alimenta non ſunt ſolummodo ad dandum corpori augmentum, verum etiam ad reſtituendum id, quod ſingulis diebus deteritur de corpore. Cum autem deficiente ætate ſive ingruente ſenio minus ſemper pereat de corpore, minor copia ſufficit in hac ætate alimenti.

465. Motumporro quod attinet cordis & arteriarum, cui reſpondent ſecretiones fluidorum & excretiones, eſt is: quanto homo plus diſtat a ſuo principio, tanto rariores contingunt cordis & arteriarum vibrationes ad finem uſque vitæ, tantoque lentior humorum per vaſa circuitus; & viciſſim eo citior eſt cordis contractio, quanto homo minus abſceſſit a ſua origine.

466. Tardior iſta arteriarum vibratio in ſenibus ſignificat nobis medentibus, pulſum arteriarum in decrepitis, qui eſt paullum celerior organico, vehementiorem indicare febrem; quam multum etiam velox in juvene & puero, verſarique ſenem cum pulſu non admodum cito in majori diſcrimine, quam puerum cum pulſu celeri.

467. Variat non minus liquidorum determinatio in diverſas corporis partes ratione ætatis, eſtque alia in juvene, alia in viro, in ſenectute inchoata, & denique alia in ætate decrepita.

468. In ætate prima uſque ad pubertatem feri humores ad caput, docet frequens in puero narium hemorrhagia, ruber faciei color, & genarum pinguedo. Cauſa hujus determinationis facile colligitur ex eo, quod caput uſque ad pubertatem excedat amplitudine ceteras corporis partes. Sunt præterea humores in hac ætate tenues & facile in altum tollendi.

469. Poſt pubertatem derivantur fluida corporis quædam in ſexu virili, in muliebri autem fere omnia, quæ hactenus præter neçeſſitatem pellebantur ad caput, in partes genitales. Hinc adoleſcentibus remittit, puellis vero puberibus ceſſat penitus narium hemorrhagia, fitque ejus loco in illis ſecretio ſpermatis; in iſtis autem fluxus menſtruus.

470. In ætate deinde media, in qua omnia corporis vaſa plenam ſuam firmitatem ſunt adepta, minusque jam cedunt nimiæ humorum copiæ, neceſſe eſt, iſtam premi in viſcera corporis minus reſiſtentia, quale præcipuum eſt pulmo in viris, &, ut aliqui volunt, uterus in mulieribus. Inde inferendum eſt, humores in viris determinari ad pulmones.

471. Confirmatur hæc fluidorum determinatio per id, quod hemophtyſis, peripneumonia vera, phtyſis, pleura, & ſimiles morbi incidant potiſſime in ætatem mediam; atque per id, quod, docente experientia, ſputum cruentum ſit minus periculoſum, minusque frequenter abeat in ſupurationem pulmonum in adoleſcente, quam in viro.

472. Superata ætate virili evadunt humores, veluti memineramus, plus ſemper mucoſi, frigidi, minusque elaſtici, cordis quoque vis fit debilior. Unde neceſſe eſt, majorem, atque prius, humorum copiam labi in aortam deſcendentem. His ſi adjunxerimus, majorem eſſe in ſenibus vaſorum rigiditatem, minusque frequenter, quam antea, corpus moveri in hac ætate, & ſimilia alia, concipimus, humores debere majori co-

pia

pia feri in inferiores corporis partes, in eisque diutius commorari, in pedibus nempe, dum jam deficiunt pedetentim vires organifmi increfcente fenio.

473. In ætate demum decrepita obfervamus, magnam frequenter aggregari fanguinis copiam in partibus urinariis & hæmorrhoidalibus adeo, ut generatim fere fit adftruendum, fluidorum determinationem in ætate fuprema effe ad partes nunc nominatas.

474. Præter commemoratas hucufque fluidorum folidorumve mutationes, quas fubit organifmus per decurfum fuum a principio ad finem ufque juxta diverfam ætatem, contingunt aliæ quoque, magis adhuc repentinæ, notatu digniffimæ.

475. Vult quidem Celfus, organifmum hominis fubito & valde fimul permutari primo circa diem ætatis quadragefimnm, deinde menfe feptimo, tum anno feptimo, maxime autem tempore pubertatis; Alii vero exiftimant, organifmum quolibet feptennio per univerfam hominis vitam in alium converti fubito ftatum. Verum mutationes iftæ, fi eam, quæ in pubertatis tempus incidit, excipias, non funt adhuc fatis demonftratæ, ideoque prætermittendæ, ufque dum magis patuerint.

476. Quanto levioris autem momenti funt mutationes, quæ minus connotabantur hactenus, tanto majoris eft illa, quæ accidit tempore pubertatis. Eft enim ifta tanta, ut ipfe jam Hypocrates pro certo ftatuerit, morbos pertinaces, uti Epilepfia & fimiles, fi per mutationem organifmi, quæ ipfi obtingit in pubertate, non fuerint radicitus evulfi, per omnem reliquam permanere vitam.

477. Effectus, quos mira hæc mutatio inducit in organifmo, præcipui funt fequentes: Humores, qui antea ferebantur ad caput, diriguntur nunc in partes generationi dicatas; Partes iftæ ab allatis fluidis explicantur penitus, & diftenduntur; Secernitur in eis fperma in adolefcente, & liquores ad generandum neceffarii in muliere; Ceffat frequens narium hemorrhagia, dolor capitis, dentium, & fimiles affectiones capitis; Eorum loco nafcitur dolor in puella lumborum

 cete-

ceteræque conturbationes, quæ menstruationem comitantur; fit viri cupida; juveni sucrescit barba; perit vocis clangor, & plura hujusmodi. Majus præterea accipit non raro puer puellaque tunc duorum mensium spatio incrementum sui corporis, quam prius per annos plures.

478. Causam vehementis prorsusque admirandæ hujus mutationis organismi, per quam sæpius, testantibus pluribus exemplis, congeniti & ad omnia rebelles morbi feliciter sunt radicitus deleti, nemo, judico, perspexit hucusque.

479. Mutationibus istis adjungenda est ea, haud quoque spernenda penitus, quæ mulieribus, opipare viventibus, & sedentariam simul vitam colentibus frequens est ætatis tempore, quo menstrua fluere cessant. Siquidem sanguis, qui prius expellebatur per uterum superfluus, retentus defertur ad vasa hemorrhoidalia, pedes, caput, aliasque corporis partes, diversarum affectionum auctor.

480. Recensita hucusque abunde declarant, maximas organismum per vitæ decursum perferre permutationes tum in vasis, cum etiam in humoribus, inque istorum determinatione, atque motus velocitate adeo, ut adstruendum sit, hominem in qualibet ætate habere organismum mutatum.

481. Quantum intersit, ut medicus expositas nunc organismi conversiones quoad ætatem diversam rite cognoscat, reminiscaturque in quibusvis suis ægrotis; quam eapropter etiam sit utile, eas in capitulum congessisse, neminem latere potest.

482. Pertractatis iis, quæ ad mutationem pertinent, quam unaquaque ætas inducit in organismum, videamus, quid quælibet potentia valeat, efficiatque juxta ætatem hominis diversam.

483. Potestas organismi secundum variam ætatem æstimata, in naturam, animam, & heterogenea est prorsus, veluti omnibus notum est, diversa. Sic debilis infantis organismus cogit naturam ad perficienda singularia; vincit deinde vis digerens in puero mucositatem

tatem lactis, acescentem fructuum horrhæorum indolem &c quam ventriculus senis non superat amplius.

484. Si effectus naturæ in contemplationem vocamus, quos ea exerit ratione ætatis disparis, licebit jam ante istorum disquisitionem opinari, eos, tanquam effectus tutricis sanitatis & vitæ, debere esse alios in fætu, alios in infante, puero, juvene, viro, & in sene.

485. Inter effectus, quos natura exequitur in embryone, videtur etiam esse iste, quod ei, in aquis uterinis natanti, talem tribuat situm, qui dein ipsi evadit maxime commodus ad prodeundum in lucem. Naturæ adscribo effectum istum propterea, quod est ad facilitandum partum, conservandum utpote infantem, quod tutricem generis humani convenit; item, cum situs hicce fœtus sit generalis ac omnibus pene communis; & denique idcirco, quod a nulla causa corporea, quantum mihi invenire licet, possit derivari.

486. Infans recenter genitus compellitur a natura ad petendum ejulatu cibum; scit, eadem concitante, istum ex uberibus nutricis esse depromendum; scit, hac ipsa docente, lac sugendi modum; movet, eadem instigante, omnia dum fasciis non stringitur, sua membra, ut circuitum promoveat humorum in vasis &c.

487. Ex hac ultima naturæ actione intelligimus, quam sit noxium, fasciis semper constrictum esse infantem; & vicissim quam salutare corpori ejus, libertatem motus concedere sæpius membris.

488. Pueris & adolescentibus ejicit natura cruorem superfluum per ruptam in naribus arteriolam; in puellis post pubertatem inducit fluxum menstruum; suscitat appetitiones rerum, quæ tenues conservant liquores corporis, ut fructuum horrhæorum, rerum dulcium, & similium attenuantium.

489. Viri, movente natura, delectantur cibis duris, carnibus, nonnunquam acidis, putredini adversantibus; sunt autem minus cupidi fructuum horrhæorum, qui fluida attenuant, minus lacticineorum, ac eorum, quæ juvenibus sunt oblectamento.

490. Senibus porro parit natura aversionem omnium, quæ refringerant, aut plus mucosos efficiunt humores inquilinos; ingerit autem cupiditatem leniter stimulantium, ut vini, & quæ sunt generis istius.

491. Vim animæ in suum organismum, ceterasque potentias variare quoad ætatem diversam adeo clarum est, ut nulli sit ignotum. Cum enim per organa sui corporis debeat operari, evidens est, vim ejus cum ætate crescente suum capere incrementum usque ad statum virilem, cumve eadem, rigescentibus videlicet sensim vasis minimis, debere iterum pari gradu imminui ita, ut tandem homo fiat iterum judicio similis puero, sive secundo puer.

492. Maxima igitur vis ratiocinantis animæ est in ætate media & in ingressu in senectutem, antequam scilicet vascula minora obstruuntur. Quantumvis itaque, juvenes adeo sibi ipsis complaceant in judicando, ut nulli cedere velint, sunt attamen semper tanto levioris ingenii, quanto se ceteris sapientiores arbitrantur.


493. Differt dein quoque memoria, differuntque organa sensuum externorum ab internis ratione ætatis. Quoniam vis perceptionis objectorum & memoria, sive nervi sensuum externorum & medulla cerebri, in qua fiunt impressiones imaginum objectorum, & in qua memoriam locatam esse aimus, tanto vehementiores admittunt impressiones, quanto sunt molliores, sive in junioribus. Hoc est: Quantumvis potestas animæ judicantis maxima sit in ætate virili, est tamen facultas percipiendi ideas rerum, & eas memoriæ mandandi major in ætate juniore.

494. Pathemata quod attinet animi, in infantia & pueritia principatum tenet metus; huic succedunt gaudium & spes; in adolescentia, metu remittente, insurgit spes cum gaudio; in ætate porro virili dominantur ira, amor, aut tristitia; deficiente vero ætate deficiunt una vires animæ, gratas & ingratas ideas sibi repræsentantis, veluti omnes ceteræ ejus facultates.

495. Heterogeneorum vim in potentias reliquas esse pro ætatis varietate non minus diversissimas, notum

tum eſt pariter omnibus: Inde eſt, quod Pathologia in propinandis remediis ceteriſque diſponendis jubeat maximam in ægris habere animadverſionem ætatis.

496. E recenſitis patent rationes, cur infantibus noceant copioſa farinacea non fermentata? Cur juvenibus vina; viris autem & ſenibus lac? Cur puer aptior ſit ad condiſcendas linguas & ea, quæ ſunt memoriæ; quam vir? Cur puer admodum enervetur per ſtudia & ſcientias, quæ ſpectant ad judicium? Cur increſcente judicio imminuatur memoria? Cur pueris frequens corporis motus ſit ſalutaris? Cur juvenibus proſit alvus laxior; ſenibus vero ſtrictior? Cur juvenibus & viris noceat aer ambiens, ſi multum caleat; conducat autem frigidus; & ex adverſo ſenibus?



CAPUT SECUNDUM.

DE

ALTTERA CAUSA PRÆDISPONENTE, QUÆ EST SEXUS DISPAR.

525.

525 altera ſingularis uteri,
526 qualis ſemper contingit tempore menſtruationis.
527 Videamus autem, num-ea ſit fluxus menſtrui cauſa?
528 Verum non poteſt haberi pro cauſa, cruorem expellente,
529 neque pro cauſa periodi.
530 Quare deflectunt aliqui ad œſtrum venereum.
531 ſed nec iſtud ſatisfacit.
532 Hinc clariſſimus Aſtruc
533 adducit præterea liquorem quempiam lactiformem,
534 tanquam menſtruationis cauſam.
535 Verum neque is videtur ſufficere.
536 Non reddit enim rationem periodi,
537 Neque gaudet vi ſanguinem exutero expellente,
538 Nec dat rationes ſymptomatum.
539 Unicus ſubcruentus beſtiarum fluxus elidit recenſitas hactenus ſententias,
540 ipſaque uteri plethora.
541 Cauſa hujus fluxionis adferenda
542 quinque poſtulatis debet ſatisfacere.
543 Examinemus primo indolem ſanguinis menſtrui:
544 Optimus hic dicitur hodie ab omnibus,
545 & malus aſſerebatur olim.
546 Videtur autem eſſe bonus in gravidis, & malus in non gravidis.
547 Inquiramus jam in cauſam menſtruationis.
548 Semen vegetabilium eſt utero fecundo ſimile;
549 Cotyledones ejus præbent nutrimentum plantæ,
550 e terra attractum,
551 & prius elaboratum:
552 Similia obſervantur in utero fecundato.
553 Siquidem etiam iſte perficit magis ſuum ſanguinem,
554 quod ipſa uteri fabrica credere ſuadet,
555 imbecillisque confirmat mulier,
556 mammarum quoque in gravidis intumeſcentia,
557 atque albumen ovi, calore foti.
558 Uterus ergo fecundus educit e ſuo ſanguine liquorem nutrientem,
559 ejusque tanto majorem copiam, quanto major eſt ſanguinis in eo quantitas.
560 uti deſumere licet e muliere tenera & ſimul gravida,
561 cui ipſi liquor hic nu-

triens eſt utilitati,
562 ſicuti etiam ægrotanti,
563 cujus cuncta, edito partu, revertuntur mala.
564 Confirmatur hoc aſſertum magna lactis nutricum copia.
565 Verum ſi uterus fecundus elaborat liquorem, idem perficit uterus quoque non gravidatus.
566 Eſt autem liquor iſte ad fœtum ſolummodo nutriendum deſtinatus.
567 Hinc debet coacervari in utero mulieris non gravidæ,
568 ſtagnansque corrumpi.
569 atque fluxum inducere mulierum.
570 Inde jam liquido conſtat, cur ſanguis menſtruus in non gravidis ſit malæ indolis?
571 Si quis quæſierit ex me, cur hic liquor non-nutriat mulierem non prægnantem?
572 Reſpondebo, quod eſt tenacis indolis,
573 qualis eſt albumen ovi.
574 Cauſa hæc menſtruationis ſatisfacit ſupra dictis quinque poſtulatis,
575 datque rationes ſequentium, cur uterus non fiat illico poſt fluxum rurſum plethoricus?
576 Cur vaſa hemorhoidalia ſæpe ſimul turgeſcant?
577 Cur uterus ipſe ſe conſtringat tempore menſtruationis?
578 & quidem univerſus?
579 cur fluxus quarumpiam ſit copioſus?
580 multisque ſtipatus ſymptomatibus?
581 in eadem muliere ſæpe variantibus?
582 cur fluxio hæc emaneat in morbis?
583 cur concipere poſſit mulier, etſi nunquam fluxum iſtum fuiſſet perpeſſa?
584 cur ſufficiat interdum fluxio liquoris albi?
585 cur venæſectio ſæpe noceat retentis menſtruis?
586 inde liquet, quæ fluxum iſtum promovent,
587 deſumiturque cauſa fluxus immodici,
588 atque cur in hoc obſint ſæpius adſtringentia?
589 & redditur ratio periodi,
590 cognoſcimusque remedia emmenagoga,
591 atque e converſo, quæ fluxum inhibent,
592 inter iſta eſt pariter febris.
593 Ex hac noſtra opinione duducitur quoque cauſa multorum ſymptomatum,

594





CAPUT SECUNDUM.

DE VARIA ORGANISMI CONSTITUTIONE RATIONE SEXUS.

497. Statuit Divina rerum Providentia in augendo humano genere, ut e copula duorum hominum resurgat tertius sive novus. Hinc fuerat necesse, duobus istis dispares dedisse organismi partes, generando novo homini dicatas.

498. Discrepantes istæ organismorum partes, quas comperimus in hominibus, effecerunt, ut gentem humanam, universe sumptam, dividamus in classes ac genera duo, in masculinum videlicet & femineum.

499. Cum organismus viri habeat partes, quibus destituitur organismus mulieris; iste autem sit instructus organis, quibus non ille: sequitur, debere vires quoque potentiarum differre ratione diversarum harum partium, sive ratione sexus.

500. At vero præterquam, quod machina corporis utriusque sexus sit peculiaribus instructa partibus, est & id, quod duæ istæ machinæ in ipsis etiam partibus, utrique sexui communibus, & in toto fere corpore non mediocrem habeant differentiam, animadversu dignam.

501. Prima, quæ observatur in partibus communibus discrepantia, consistit in ossium firmitate. Est enim robur ossium corporis virilis longe majus, quam sit ossium corporis muliebris.

502. Differt dein organismus mulieris a virili in ossium conformatione. Quoniam ossa pelvis sunt multo ampliora, & plus extrorsum patentia in muliere;

quam

nam in viro. Os quoque ſacrum eſt plus extrorſum vexum in illa; quam ſit in iſto.

503. Tertium organiſmorum ratione ſexus diſcri-men ſitum eſt in vaſis, quæ ſunt minora diametro, magisque laxa in corpore muliebri; quam ſint vaſa corporis virilis. Sunt item muſculi mulieris minus for-es, minusque tenaces, quam muſculi in viro.

504. Differentia quarta, quæ conſiſtit in humoribus, facile intelligitur ex præcedente. Cum enim vaſa corporis muliebris ſint plus tenera & diametro minora, quam ea corporis virilis; ſequitur, humores quoque debere eſſe tenuiores & minus campactos, quam ſint humores in viro.

505. Ex ſolidorum laxitate humorumque majore te-nuitate in muliere deſumimus quinto, corpus femineum eſſe minus calidum corpore virili, dificiliusque eum caloris gradum obtineri poſſe a muliere, quem facile acipiſcitur vir in ſuo corpore.

506. Hinc clarum eſt, virum in acutis inflamma-toriis magis multo periclitari, ocyusve affici a cauſa putrida, epidemice regnante, pluraque in morbis per-ferre acida; quam feminam.

507. Excedunt ſexto humores ſua vaſa coercen-tia in organiſmo muliebri adeo, ut jure dicere poſſi-mus, vix unquam rectam exiſtere æquilibrationem in-ter ſolida & fluida in muliere, qualc frequens eſt in viris; ſed fere ſemper ſolida ſuperari a fluidis.

508. Minor vaſorum omnium adeoque etiam cor-poris capacitas, conjuncta cum magna humorum copia, in corpore femineo indicat differentiam ſeptimam, cor-dis nempe & arteriarum vibrationem eſſe in hac & debi-liorem, & ſimul celeriorem illa, quæ contingit in cor-pore viri; quapropter fluidorum quoque circuitum eſſe velociorem in muliere; quam ſit in viro.

509. Inde colligimus, ad febrem determinandam, cognoſcendumque ejus intenſitatis gradum maximam eſſe animadverſionem habendam ſexus, atque febrem in viro ſub pulſu longe tardiore in majorem conſcen-dere gradum; quam in muliere ſub pulſu veloci.

510. Si

510. Si vaſa corporis feminei ſunt plus tenera, magisque laxa, & viſcera ipſa minora, humores quoque minus compacti, minus calidi, quam in viro; neceſſe eſt octavo, digeſtionem ingeſtorum eſſe pariter in iſta viribus minorem; quam ſit in viris.

511. Ex hac obſervatione inferimus, mulieres debiles, aut ex gravi morbo infirmas minus eſſe cogendas ad ſumendum cibum, quam viros, illasque tenerioribus alendas, quam iſtos.

512. Nonam advertimus diſſimilitudinem inter organiſmos ſexus in reſpirationis negotio. Quoniam reſpiratio in viro peragitur plurimum per abdomen; in muliere autem, cujus pectoris oſſium compages minus ſirma eſt, ſed mobilior; quam in viro, plus abſolvitur per contractionem & dilatationem pectoris, quam abdominis.

513. Liberior iſta mulieris reſpiratio videtur ſignificare decimo, humores in feminis facilius trajici per ſines vaſorum pulmonalium, quam in viris, adeoque ſanguificationem eſſe meliorem in illis, quam in iſtis.

514. His inſuper eſt fluxus mulierum menſtruus, qui undecimam indicat organiſmorum diſcrepantiam, conſiſtentem in fluidorum determinatione diverſa, quæ eſt in corpore femineo ad uterum, qualis non contingit in viris.

515. Eſt fortaſſis aliquis, qui fluxum hemorrhoidum, qui interdum etiam menſtruus eſt, in comparationem ducit cum fluxu hoc muliebri, atque inde arguere vult, parem in viris accidere humorum determinationem, ad partes ſcilicet corporis hypogaſtricas; Verum is animadvertat, fluxum hemorrhoidalem eſſe ſemper morboſum, adeoque nunquam fluxioni ſanguinis muliebris aſſimilandum.

516. Demonſtratum præterea eſt, feminam minus tranſpirare; quam virum. Obſervatio iſta cum fluxu cruoris uterini docet evidenter, variare decimo organiſmos ratione ſexus, in ſecretionibus videlicet & excretionibus.

517. Cum ſanguificatio ſit melior in muliere, atque etiam perſpiratio parcior; quam in viro, facile eſt

opinari, unde feminæ, quamvis aliquæ pauca su-
nt nutrientia, tantam nihilosecius obtineant in sin-
los menses humorum copiam, ut magnam semper
um jacturam absque virium dispendio facere queant?
uc non obstante hac jactura eam nihilominus multæ
igregent fluidorum quantitatem, quæ excedit solida,
ucitque plethoram?

518. Plethora hæc merito reputanda est causa,
od mulier multo vehementiores perferat sanguinis
ractiones; quam vir, tardius ideoque tollantur in
morbi a plethora procreati; quam in viro.

519. Discrepat dein etiam organismus viri ab orga-
no mulieris per liquorem illum, in viri solum ge-
alibus perfectum, quem sperma nominamus, hu-
num complectens rudimentum. Quippe communi
lic sententia definitum est, universum hominis prim-
lium spermate virili contineri, nihilque de eo
stere in femina.

520. Quantumvis autem verum sperma humanum
n conficiatur in corpore femineo, videtur tamen in
quoque secerni liquor aliquis, isti similis, si rudi-
ntum excipias hominis, illo contentum, tam videli-
dives spiritibus vitalibus, quam fere est humor vi-
s. Hic etiam videtur esse causa œstri venerei in
liere, quemadmodum est in viro, excernique tem-
e copulæ in illa, sicuti excernitur in isto. Corro-
at hunc sensum id, quod femina non minus, atque
, per frequentiores complexus venereos enervetur,
uc plures adeo enervatas fuisse constat, ut viribus
austæ interierint.

521. Liquor iste, spiritibus nerveis ditissimus, &
nibus utriusque sexus hominibus communis, qui
ivenibus, matrimonii fœdere conjunctis, immoderate
e diffunditur, est nobis argumento, plenam esse
itatis discrimine potestatem, quæ sit utriusque se-
juvenibus, ineundi matrimonium. Quandoquidem
mpla pene quotidiana abunde testantur, ejusmodi
enes adeo debilitari, ut reliquum suæ vitæ in lan-
re transigant. Frequens hæc liquoris omnium opti-
excretio in matrimonio videtur esse quoque ratio,
quod

quod viri in hoc constituti minus apti sint ad studia majora, si tamen sanitati suæ consulere velint?

522. Post expositam differentiam, quæ intercedit inter organismos sexus disparis, explorandæ forent vires potentiarum quoad hanc differentiam. Verum cum peculiarem aliquem conceperim sensum, a ceterorum Physiologorum opinione discrepantem, de miro illo, qui multas sæpius facessit nobis medentibus molestias, fluxu mulierum menstruo, ipsum brevibus exponere prius in animum induxi.

523. Quatuor sunt præcipuæ de hoc fluxu Authorum sententiæ: Aliqui statuunt pro ejus causa plethoram corporis universi; Alii vero eam solius uteri; Huic addunt aliqui œstrum venereum, ut causam, quæ uterum cruore scatentem pellicit ad sui contractionem; Postrema demum sit celeberrimi Astruc.

524. Prima medicorum opinio adeo jam est destituta fautoribus, ut vix supersit, qui ipsam retinuisset; quum sit exploratum, mulieres pariter, in quibus inanitio potius, quam humorum notatur abundantia, hunc perpeti fluxum. Quapropter sententiam istam non ultra impugnandam esse judico. Si quis tamen plura adversus eam deposcit argumenta, is illa, quæ contra plethoram uteri singularem mox adferam, huc revocet,

525. Ad hanc sive peculiarem uteri plethoram, quæ altera est Physiologorum opinio, quod attinet, ea tanto pluribus gaudet assertoribus, quanto pauciores conservavit prior, tantis videlicet, ut pene omnibus hodiernis.

526. Aggregari sanguinem in utero ante tempus menstruationis, plethoram ideoque singularem (si tamen plethoram compellare placet) uteri vere contingere, modo majorem, modo minorem in quibusvis sive etiam in non plethoricis mulieribus in menses singulos, docet anatome in feminis ante hunc fluxum mortuis instituta. Hinc quæstio, num uterus fiat plethoricus ingruente menstruationis tempore? dimittendam prorsus arbitror.

527. Con-

527. Constituto autem eo, quod sanguis aggregetur pedetentim in uteri vasis diebus fluxum menstruum præcedentibus, semperque hoc irrumpente adsit in isto plethoræ species, disquirendum est, utrum hæc plethora possit assumi pro causa expulsionis collecti cruoris, & simul pro causa periodi? sive utrum tanquam menstruationis causa possit, debeatque considerari?

528. Sanguis, dico, qui appropinguante fluxu congregatur in utero, non videtur posse conservari pro causa, uterum ad sui contractionem proritante. Quoniam 1mo sanguis, qui profluit, dicitur ab omnibus hodie physiologicis optimus ac cetero simillimus, minime itaque acer & irritans uterum, qualis atamen esse deberet; 2do Est is interdum adeo modicus, ut vix plethoram inducat, quare deberet ab utero multum, ut ajunt, laxo absque omni injuria diu, id est, in plures menses posse retineri. 3tio Quantumvis concedamus, tantam sæpe nasci in utero plethoram, ut vasa ejus multum distendantur, non cogimur nihilominus admittere, uterum ab hac sanguinis copia concitari ad se constringendum. Siquidem uterus non se sinit excogitari a maxima etiam sanguinis boni copia, quam sæpe suis vasis complectitur, veluti clare apparet in mulieribus gravidis. 4to At demus insuper, uterum se contrahere propter nimiam contenti sanguinis copiam, rogo, cur sanguis iste non reprimitur cum reliquo revertente in circulum, quum uteri tunc constrictio sit lenta & haudquaquam repentina?

529. Verum nec videtur plethora hæc uteri esse causa periodi. Nam 1mo deberet fluxio ista esse non paucis solum, sed multis diebus mense maturior, immo paucis, postquam remisit, rursum redire diebus mulieribus plethoricis, & quarum corpus universum, ideoque etiam uterus, scatet humoribus. 2do Mutaretur quoque fluxus iste in feminis, quæ vivendi genus permutant, ita ut in illis, quæ antea parce vixerant, nunc vero laute vescuntur, multo citius reverteretur, quam antea; & ex adverso in iis, quæ prius opiparam ducebant vitam, nunc vero ad incita redactæ sunt, multo tardius, quam prius, contingeret.

3tio

3tio Uterus per geſtationem ſemel diſtentus majorem deberet, atque antea, perferre poſſe ſanguinis copiam, fluxus idcirco poſt geſtationem non amplius fieri menſtruus, ſed longe tardior. *4to* Poſſet, ſicuti quævis aliarum corporis partium plethora ſingularis, ſi non anteverti penitus per venæſectiones, ſaltem in longius protrahi temporis intervallum. *5to* Varium vitæ regimen, in unaquaque fere muliere peculiare, diſpar quoque animi corporisque temperies, & ſimilia multum variarent fluxum menſtruum, ipſamque ejus everterent periodum. *6to* Non eſt unica ſingularis in corpore nata plethora, quæ continuo, atque nata eſt, ſervaret periodum & imprimis menſtruum: Omnis victu lauto accelleratur; & contra eo parco, curis & laboribus prorogatur.

530. Medici, qui œſtrum venereum volunt eſſe cauſam hujus periodi, ajunt, menſis potiſſimum ſpatio eam colligi in femina materiæ venereæ copiam, quæ ſufficit ad pelliciendum uterum ad ſui contractionem. Huic autem ſenſui obſtant ſequentia:

531. Si periodus fluxionis iſtius œſtro venereo foret adſcribenda, ſentirent *1mo* plethoricæ & copioſis quotidie paſtæ frequentiſſimum hunc fluxum; egeſtate vero preſſæ rariſſimum. Siquidem multa fit, ut norimus, dictæ nunc materiæ in illis elaboratio & ſecretio; in iſtis vero pauca: *2do* Laſcivæ pariter citiorem perciperent eum; quam in curis perpetuis & ærumnis, quæ generationem hujus materiæ admodum inhibent, verſantes. *3tio* Mulieres deinde, per fortium virorum conſortium debilitatæ, omni proinde ſua veneris materia ſpoliatæ, hocce penitus carerent fuxu: Denique *4to* mulieres, quæ frequentiori commercio cum viro ſunt aſſuetæ, ſi abſtineant hoc uſu poſt diſceſſum a ſe maritum, vel eo mortuo, citius longe, quam antehac, menſtruarent propter copioſi liquoris iſtius collectionem.

532. Oeſtri veneri loco adfert celleberrimus Aſtruc materiem lactiformem pro cauſa tum expulſionis cruoris menſtrui, cum etiam periodi, adeoque totius menſtruationis, aitque, in vaſis uteri vermicularibus fluere

re liquorem lactiformem, cujus, ut loquitur, pars tenuior progreditur, & redit in circulum, remanente in nunc dictis uteri vasculis parte spissiore atque coacervante, & postquam, (quod accidit intervallo quatuor communiter septimanarum) in eam conscendit copiam, ut vasa sanquifera sibi adjacentia comprimat, sistit cruorem in suis vasis decurrentem, & subin reprimit in vasorum appendices, in uteri cavum patentes, talique ratione fluxionem istam contingere perhibet.

533. Cessat porro, inquit, fluxus cruoris, quando causa, progressui sanguinis per sua vasa obstans, ablata est, sive quando ipse quoque spissus liquor lactiformis simul cum sanguine effluxerat in uteri cavum: Emanet autem post menstruationem tamdiu (per quatuor utpote septimanas) usquedum novus rursum justæ quantitatis liquor lactiformis spissus fuerit in suis vasis congregatus.

534. Menstruationis dein symptomata & effectus derivat ab eodem liquore spisso ac premente, vultque ipsum esse, qui modo præcedit, modo sequitur fluxionem sanguinis; qui, revertens in sanguinem circulantem, istum suo inquinat calore, ut apparet in chloroticis; qui in pectore oppressionem, in capite dolorem &c, adfert: Eundem sæpius arguit immodici, inordinati, & retenti hujus fluxus reum, si videlicet nimia spissitudine aut tenuitate peccet: Hunc ipsum dicit etiam esse causam, quod fluxus increscat in diem tertium, & post istum decrescat iterum, quia nempe, ait, major aggregatur dicti liquoris copia in diem usque tertium, post quem emulgetur ipse quoque una cum sanguine, & similiter de ceteris effectibus.

535. Verum enim vero, si explicationem istam acute intuemur, comperimus eam multis & maximis irretitam esse difficultatibus, opinor. Siquidem liquor adstructus lactiformis neque, ut mihi videtur, pro causa periodi, neque pro causa expulsionis cruoris ex utero, neque etiam pro causa multorum effectuum & symptomatum potest statui.

536. Non pro causa periodi: nam si per otiosum & simul opipare vivendi genus quilibet liquor inquilinus

increſcit copia; per vitam autem egeſtate & ærumnis preſſam parce & tarde generatur, accidet id quoque humori lactiformi. Atſi iſte per multos cibos augetur, & contra per inediam inhibetur, aut ſaltem retardatur, deberet in prioris claſſis mulieribus fluxus iſte contingere menſe longe citius, & in alterius claſſis feminis longe tartius, adeoque vix unquam eſſe periodicus ſive menſtruus, veluti de plethora argumentabamur. Si præterea periodus proveniret a ſpiſſitudine dicti liquoris lactiformis, quis non exiſtimet, eum debere citius inſpiſſari in mulieribus ſiccis, & tenaces humores habentibus, quam in iis, quarum fluida ſunt admodum tenuia, adeoque etiam fluxum ocyus in illis, & contra tardius multo redire in iſtis? Quis dein non quoque opinetur, poſſe per copioſa ſolventia, diluentia, balnea, & ſimilia diſſolvi tenacitatem liquoris lactiformis, atque fluxum aut in longius tempus retineri, aut prorſus anteverti?

537. Neque deinde videtur poſſe commemoratum humorem lactiformem conſtitui pro cauſa, ſanguinem ex utero exprimente. Nam 1mo. liquor iſte non eſt acer, non coget proinde vaſa ſua, in quibus moratur, ad contractionem, adeoque ad ſui expreſſionem. Permaneret itaque in vaſis, in quibus ſtagnat, immotus diutiſſime, eaque obſtrueret inſtar alius liquoris ſpiſſi: Et ſi propterea foret cauſa fluxus menſtrui, iſtum conſervaret, quamdiu ſtagnat. 2do. Refert Cel. Author, vaſa, quæ liquorem lactiformem continent, ſe ocyus ſæpe aperire, citiusque humorem ſuum effundere, quam vaſa ſanguifera ſuum ſanguinem, veluti fluxus liquoris albi, ſanguineum non raro antecedens, indicat. Verum ſi vaſa dicti liquoris vermicularia jam ante fluxum ſanguinis deplentur, ceſſat cauſa premens vaſa ſanguifera, aut ſaltem minuitur jam ante ipſum ſanguinis effluvium. Hoc poſito, nulla ſequeretur amplius, ablata videlicet cauſa exprimente, fluxio ſanguinis, multo minus augeretur. 3tio. Eſt lactiformis hic liquor minus compactus, quam ſint globuli ſanguinis. Hinc in compreſſione vaſorum ſibi contiguorum mutua, quorum aliqua ferunt ſanguinem, & alia humorem

morem lactiformem, ratio suadet credere, liquorem istum, minus utpote compactum, debere potius cedere pressioni liquoris plus compacti, sanguinis nempe; quam iste actioni illius: Quo statuto promovebit sanguis potius humorem lactiformem, moram in suis vasis trahentem, quam ut iste sanguinem in angustiora multum vasa reprimat.

538. Haud denique videtur liquor hicce symptomatum, quæ menstruationem comitantur, aliorumve ad eam pertinentium plenam reddere rationem. Cur nempe hemorrhoidalia simul vasa, etiam in non plethoricis mulieribus, turgeant aliquando tempore instantis fluxionis menstruæ? Cur universus tunc quoque in multis perturbetur humorum circuitus, nascaturque singularis, quam uterinam appellamus, febris? Cur magna sæpe profluat sanguinis copia sive tanta, ex qua arguere convenit, universum se fortiter constringere uterum? Cur verus sanguis, & non humor lactiformis, expellatur per nares, aures, pulmones &c dum natura liberat mulierem a suis molestiis, per retentum fluxum menstruum inductis? & sic alia, brevitatis causa prætermittenda.

539. Fluxus iste mulierum merito comparandus est cum fluxu mucoso & sæpe subcruento, qui notatur in feminis quadrupedum. In eundem enim finem sunt ambo instituti; uterque significat, feminam esse ad concipiendum idoneam; uterque, si diutius absit, indicat, feminam non esse ad generandum dispositam. Unica, quæ inter fluxum mulieris, & eum bestiarum intercedit discrepantia, est ea, quod ille sit menstruus, magisque cruentus; iste vero minus, & simul rarior. Differentia ista haud obstat, quo minus sit asserendum, utrunque habere causam similem effectricem. Quis est autem, qui eam dicat in bestiis esse inspissatum liquorem lactiformem, aut plethoram?

540. Si dein rationem, cur sanguis aggregetur in utero mulieris revertente fluxus tempore, nascaturque plethora uteri in feminis etiam minime plethoricis, periodum servans? ex aliqua adductarum opinionum depromere

mere velimus, ex nulla earum sufficientem derivare posse, censeo.

541. Percensitis resolutisque sententiis, super menstruationis negotio hucusque conceptis, inquiramus jam nos in causam hujus fluxus, ac discutiamus solerter cuncta, quæ ad eum pertinent, an forte causam aliquam vero similem depromere valeamns.

542. Quinque sunt præcipua, circa menstruationis negotium observanda ac requirenda, quibus causa ejus plene satisfacere debet. 1mum. Cur aliqua semper generatur in utero plethora ante fluxum in enervatis quoque attamen sanis mulieribus; & non coacervetur sanguis in utero solum, sed interdum etiam in partibus ei adnexis? 2dum. Quid est, quod universum adigit ad fortem sui contractionem, & contenti cruoris expressionem uterum? 3tium. Cur fluxus eam servat periodum in sanis, ut neque accelleretur multo tempore a cibis copiosis & valde nutrientibus, neque prorogetur in egenis, aut per venam sectam? 4tum. Talis sit causa menstruationis, ut ex hac sine mora eluceat ratio quorumvis effectuum, quæ fluxionem antecedunt, comitantur, & sequuntur; fluxus item imminuti, inhibiti, immoderati, & inæqualis, symptomatumque inde oriundorum, est necesse. 5tum sit demum istud: Causa menstruationis ea sit, oportet, quæ in fluxum quoque uterinum bestiarum derivari possit. sane unica & simplex, quæ his quinque postulatis satisfacit, quibus nulla expositarum, ut vidimus, satisfacit, est rationi plus ceteris consentanea, propriusve accedit ad veritatem. Videamus jam, utrum talem consequi valeamus.

543. Ante omnia oportere judico, examinare indolem sanguinis, num sit bonæ, adeoque reliquo similis, aut potius malæ? Vetustissima hæc quæstio, ac definita quasi, minime erat, scio, expectata multis, quod jam pro evicto & indubitato plerumque habetur, sanguinem istum neutiquam discrepare a reliquo, optimi proinde esse genii. Verum sit mihi concessum ruminare animo & expendere rationes, quæ veteres eo perduxere, ut asseruerint, sanguinem istum deflexisse indole ab altero, noxiumque idcirco esse.

544.

544. Argumenta, quæ pro bono hujus cruoris genio pugnant, sunt ista: Non est ulla 1*mo.* ratio, inquiunt hodie Physiologi, qua sanguis menstruus impuritatis alicujus posset insimulari in muliere sana. 2*do.* Solerter examinatus exhibet omnes dotes sanguinis optimi. 3*tio.* retentus in gravidis & lactantibus non unicum dat indicium affectæ cujuspiam partis corporis. 4*to.* demum, sanguis iste convertitur in gravidis & lactantibus in optimum nutrimentum tenelli embryonis & infantis, in quod certe nunquam posset transmutari, si ullius acrimoniæ esset particeps.

545. Medici, qui cruorem menstruum noxium esse definiverunt, sequentibus nitebantur rationibus: 1ma. Retentus in non gravidis & non lactantibus, nondumque effætis certum inducit morbum, & si universos inquinat humores, partem corporis, quam occupat, pessime afficit. 2da. Affectiones istæ non tolluntur per repetitas etiam sanguinis subtractiones, etsi omnes aliæ a plethora sive universali sive singulari concitatæ. 3tia. Recedunt istæ omnes illico, atque sanguis, qui retinetur, expulsus est quacunque de corpore via. 4ta. Si remanens in corpore sanguis menstruus admiscetur circulanti, non generat plethoram, sed cacochymiam. 5ta. Tametsi cruor in quibusdam feminis sit tam modicus, qui profluit, ut plethoram conformare nequeat, excitat nihilosecius interdum symptomata pessima, priusquam excernatur. 6ta. Quamvis uterus adeo possit dilatari, ut maximam sanguinis copiam absque molestia perferre valeat, quemadmodum observamus in gravidis; non potest tamen paucum, qui sæpius expellitur, sine gravi retinere injuria in non gravidis. 7ma denique, nunquam tantos, ajunt, adhiberet natura conatus in muliere non prægnante ad exterminandum cruorem menstruum remanentem, quos ipsam jam adhibuisse scimus, si noxiæ non foret indolis. Compertum enim est, sanguinem istum per oculos, aures, gingivas, glandulas salivales, pulmones, vomitum, alvum, renes, mammas, ulcera, hemorrhoides, ruptam in genu, aliisque in partibus cutem &c fuisse expulsum.

546. Si utriusque Medicorum classis argumenta seorsum ponderemus, invenimus, judico, esse ea ac talia, ut absoluta sententia super bonitate sanguinis menstrui dici nequeat. Quid igitur, ut rectum de eo judicium ferre valeamus? id, opinor: Conferamus argumenta partis utriusque, & comperimus, ea esse a prioris classis medicis deprompta ex mulieribus gravidis & lactantibus; ab antecessoribus vero nostris ex mulieribus non gravidis & non lactantibus. Hinc concludendum censeo, sanguinem menstruum esse optimum & cetero similem in gravidis & lactantibus; contra vero sive noxium in non gravidis & non lactantibus.

547. Lata hæc de cruore menstruo sententia erat primum, quod me amovit ab opinionibus hucusque propositis, animumque incitavit ad conquirendam aliam causam menstruationis, ad eam videlicet primo comprehendendam, ob quam, sanguis, qui tempore menstruationis expellitur, evadit noxius, qui fuerat antea optimus, quin tamen hæc causa, sanguinem pervertens, existeret in gravidis, lactantibus, aut effætis. Inquiramus jam in causam miræ hujus fluxionis menstruæ.

548. Semen vegetabilium (in hunc modum sum argumentatus) non inepte assimilatur utero animalis fæcundo. Cotyledones videlicet ipsi utero; Corculum seu rudimentum plantæ principio animalis concepti; & Hylum, quo corculum jungitur cotyledonibus, atque cujus ope obtinet succum nutrientem ab istis, funiculo umbilicali. Contemplemur nunc modum, quo rudimenta plantæ evolvuntur, & increscunt.

549. Dum Semen terræ mandatur, incipit id primo fieri mollius, & intumescit magis in dies magisque, donec eam nactum est molem, ut arilo non amplius coerceri queat, unde isto, quod emolitum simul est, & quasi maceratum in terra, rupto dehiscit semen v. g. faba in cotyledones duos, molles, mole valde auctos, & humore quoque repletos. Explicantur subin plantæ partes, increscitque corculum una cum cotyledonibus, dimittens rostellum & plumulam, seu figens radices, & elevans plantam. Postcaquam fixæ sunt radices, tanto plus exarescunt cotyledones pede-

pedetentim, quanto planta majus capit incrementum, usquedum penitus aridi decidant.

550. In hoc observamus, contyledones attrahere, ut populari utar vocabulo, succum aliquem e terra cingenge, eumque per plures dies suis conservare vasculis, priusquam ipsum tradant per hylum corculo; succum deinde istum, quo corculum explicatur, inque radices & plantam promovetur, generari e communi illo vegetantium alimento, terræ admixto; corculum porro tamdiu accipere nutrimentum suum a cotyledonibus, quamdiu non fixerat radices. At simul, ac inhærent radices terræ, suntque tantæ, quantæ sufficiens alimentum ex ea sugere valent, exsiccantur cotyledones, & cadunt de planta.

551. Si jam in animadversionem deducimus, quamlibet plantam, ut sunt heleberus, hyosciamus, glycirrhiza, absynthium &c, proprium suum habere succum, quo nutritur unaquæque, existimandum est, corculum cujusvis plantæ non alio liquore explicari posse ac nutriri, quam humore tantummodo plantæ proprio. Inde conficitur, cotyledones uniuscujusvis plantæ debere universale vegetabilium alimentum, quod e terra sugunt, prius elaborare, & in succum nutrientem, plantæ suæ proprium, convertere, antequam id ad evolvendum & nutriendum corculum dimittant.

552. Uterus similiter fecundatus increscit in molem duplo majorem, quam antea fuerat, humoribus plenam, priusquam explicantur rudimenta concepti animalis: Continuat subin augeri eadem ratione, qua increscit embryo in utero, usquedum fœtus eam adeptus est conditionem & tantam sui corporis magnitudinem, ut jam ipse ingerenda digerere valeat suis viribus, tumque avellitur a suo cotyledone sive de utero, qui ipsi hucusque subrogavit alimenta. Genito dein animali uterus, dimissis suis, quos adhuc continet, humoribus, revertitur in statum pristinum.

553. Si porro contemplemur teneritudinem vasculorum embryonis animalis primis præcipue mensibus, observamus tantam, ut hæc non, nisi tenuissimos, maxime nutrientes, & plene perfectos admittant liquo-

res. Hinc, opinor, quemadmodum cotyledones seminis plantæ transmutant susceptum e terra nutrimentum, crudum utpote, in liquorem plantæ ipsius, cujus est semen; ita in utero quoque animalis confici ex humoribus in eo existentibus liquorem, qui idoneus est ad evolvendum rudimentum & nutriendum embryonem, humorem videlicet tenuissimum & optime nutrientem.

554. Confirmare videtur assertum istud ipsa mira uteri fabrica, tota vasculosa, vasis admirando prorsus modo inter se contextis. Hæc sane non in eum solum finem, ut involucri munus obeat, sanguinemque adductum fætui tradat, & reliquum a nutritione reducat in circulum, sic constructa videtur. Est insuper spissus admodum minusque cetero perfectus sanguis ille, qui ad uterum defertur, unde existimandum est, sanguinem istum; si talis permaneret, ineptum omnino esse explicando primordio animalis, eoque fovendo, & nutriendo, adeoque eum debere magis attenuari, immutari, ac perfici in ipso uteri corpore, antequam embryoni utilitati esse possit: id est; debet ex sanguine, in uteri vasis commorante, elaborari humor quidam tenuissimus & maxime nutriens.

555. Intuemur mulierculam juvenem, teneram, in utero gerentem: Hæc, quæ cibos paullulum copiosiores non digerebat prius, cujusve vix suppeditabant vires in tot ingesta concoquenda, quot necessaria fuerant alendo corpori proprio. Hæc, inquam, muliercula sana & vegeta nutrit nunc, præter corpus proprium, etiam fætum, quem gestat, eumque lautissime. Id clare, judico, demonstrat, in utero potius, quam in ventriculo matris teneræ, confici nutrimentum embryonis & fætus.

556. Observamus præterea in gravidis, glandulas mammarum intumescere, & humoribus distendi, ac disponi ad lactandum infantem. Si porro horum & similium effectuum causam investigemus, opinor, haud eam posse conjici in plethoram. Siquidem in plethoricis non-gravidis eadem accidere deberent. Non dein minor pressio, minorque resistentia in mammis dicenda est causa determinatorum ad eas humorum copiosorum.

Quo-

Quoniam eadem hæc minor resistentia vasorum uberum est æque in non prægnantibus. Humori proinde singulari, qui in gravidarum utero conditur e sanguine allato, sunt effectus isti adscribendi.

557. Cum albumen ovi non transeat in nutrimentum pulli, cujus continet rudimenta, nisi prius per calorem incubatus fuerit attenuatum, & in humores pulli ipsius conversum; existimare fas est, non etiam sanguinem spissum uteri posse transire in nutrimentum embryonis & fætus, si non fuerit antea summe dissolutus, & in liquorem singularem, optimeque nutrientem permutatus.

558. Censeo itaque, confici liquorem aliquem peculiarem, tenuissimum, & summe nutrientem e sanguine uteri gravidæ, per quem humorem rudimenta concepti animalis evolvuntur, suumque accipiunt incrementum, & sicuti uterus in principio statim educit liquorem peculiarem nutricium e suo sanguine, ita deinde per universum gestationis tempus adeo, ut fætum ejusmodi potissimum liquore ali, opiner.

559. Si vero uterus perficit e suo sanguine humorem summe nutrientem ac reficientem, censendum est, eum tanto majorem elaborare similis liquoris copiam, quanto ditior est sanguine. Hoc statuto, maxima perficitur hujuscemodi liquoris copia in utero, dum iste refertus est sanguine copiosissimo.

560. Mulier tenera (de qua iterum) viribus exhausta, pallida, tristis, cibos vix appetens, vixque digerens, utprimum increscit moles sui uteri gravidati, fit fortis, jucunda, vorax, cibos quoslibet subigit optime, repletur humoribus, & egregie nutrit se ipsam suumque simul fætum. Unde, rogo, est hæc subita totius organismi mulierculæ mutatio? unde summæ ejus sub gestatione vires? anne a fætu? anne a pauco retento cruore menstruo? Utero sane tribuenda sunt hæc omnia, qui liquorem optime nutrientem ac instaurantem e suo conficit sanguine, ejusque partem magnam largitur matri ipsi.

561. Existimo videlicet, tantam elaborari e copiosissimo uteri cruore dicti nunc liquoris copiam, quæ non impenditur omnis in alendum fætum, quocirca pars ejus non modica defertur cum revertentibus ex utero humoribus in circulum, ubi reliquos, cum sit tenuissimus, multum attenuat, & succedit, ex quo coctiones, secretionesque promoventur, vires increscunt, animoque accedit hilaritas.

562. Eidem huic liquori, in sanguinem resorpto, tribuendum esse, opinor, quod gravidæ fiant plethoricæ, quantumvis magnam absumat fætus nutrimentorum copiam; quodve sanguinis missiones perferant largas; atque etiam, quod sub gestatione sileant spasticæ, quæ corpus antea multum vexabant, affectiones; absit melancolia; & denique, quod phtysicæ melius valeant, quamdiu ferunt uterum &c.

563. Illustrant sententiam istam observationes dictis contrariæ. Continuo videlicet, atque partus est editus, abscedunt rursum cuncta bona corporis animique, quæ uterus antea induxerat imprægnatus, relabiturque mulier in statum pristinum tristem, & languentem, in quo fuerat ante graviditatem; Phtysicæ pariter, quæ paullo prius commode valebant, ruunt enixo fætu in pejus, & fere semper moriuntur non diu postea.

564. Nutrix magnam largitur infanti copiam lactis, optimo liquore instaurante ditissimam, absque magno suarum virium dispendio. Liquor proinde hic reficiens, lacti admixtus, non videtur esse liquor nervorum matris ipsius, sed potius is idem, qui e sanguine uterino confectus est, & ad glandulas mammarias cum lacte delatus.

565. Verum enim vero, si e sanguine, in utero commorante ac fluente, conficitur in gravidis liquor quipiam singularis, optime nutriens, opinari fas est, uterum in non gravidis quoque mulieribus eadem esse præditum facultate, sive parem, etsi e pauco sanguine paucum solummodo, elaborare humorem nutrientem. Eadem enim est uteri structura in non gravidis, quæ est in gravidis, eadem vasorum complicatio, nexus,

xus, & conformatio, cui (quemadmodum in quovis alio corporis viſcere) adſcribenda eſt dicti liquoris confectio. Quippe capacitas uteri major in gravidis non videtur aliud conferre ad liquoris iſtius elaborationem, quam ſolum, quod majorem contineat ſanguinis copiam, in commemoratum liquorem permutandam.

566. Datus eſt uterus ad excipiendum, fovendum, explicandum, & nutriendum concepti hominis primordium, quoaduſque hoc excrevit in tantæ magnitudinis corpus, ut ipſummet cibos ore capiendos jam valeat ſubigere. Hinc liquor iſte quoque uteri non erit in alium finem deſtinatus, quam tantummodo ad explicanda prima ſtamina humana, & ad nutriendum porro fætum.

567. Conſtitutis vero iis, quod liquor iſte nutritius ſit ad alendum unice fætum deſtinatus, quodve in quolibet utero, adeoque etiam in non gravidæ, conſtanter elaboretur ex advecto ſanguine, ſequitur, talem, cum non generetur in uſum ipſius corporis mulieris, ſed ſolum in utilitatem fætus, haud reſorberi in non gravidis in circulum, unde fit, ut pedetentim aggregetur in utero non gravidato ſive in quibusdam ejus receptaculis.

568. Atſi admiſerimus, liquorem hunc aggregari in vaſis uterinis non gravidarum, quin reſorbeatur, & deferatur in circulum, admittimus eum ſtagnare in ſuis receptaculis. Verum ſi ſtagnat, non poſſumus abnuere, eum, tametſi eſſet blandiſſimus & optimæ indolis, debere mora temporis degenerare in corpore humano calido, & acrimoniam induere.

569. Si autem liquori huic nutricio & ſtagnanti accidat, ut acrimoniam aſſumat, exiſtet in vaſis quibusdam uterinis liquor acer, & irritans ſua vaſa coercentia, perque iſta uterum univerſum. Unde neceſſe eſt, iſtum exagitari, & ad ſui contractionem, irritantisque materiei expulſionem cogi. En omnis, quæ mihi videtur, menſtruationis cauſa. Hanc, præterquam quod ſit ſimpliciſſima, exiſtimo eſſe non rationi ſolum con-

conformem, sed talem etiam, quæ omnibus quinque §. 542. adductis postulatis plene satisfacit.

570. Eodem hoc ratiocinio, puto, me pervenisse ad rationem, ob quam sanguis menstruus in non gravidis sit indolis pessimæ; contra vero optimæ in gravidis & lactantibus. Quia nempe in istis adhibetur dictus liquor in alendum novum hominem, antequam ullam admittat acrimoniam; in illis vero non adhibitus stagnat, & corrumpitur, corruptusque inquinat, ac pervertit sanguinem, cui admiscetur, uterinum scilicet, quem etiam menstruum appellamus.

571. Quæret, scio, ex me aliquis, cur liquor iste, quum sit optimus & maxime nutriens, haud nutriat mulierem quoque non gravidam, haudque reficiat, quemadmodum reficit gravidam, præterquam quod fætum egregie nutriat? item cum sit tenuissimus, cur non absorbeatur vasis uteri bibulis, & non devehatur in circulum, veluti contingit in gravidis & lactantibus?

572, Liquorem, respondeo, quem nutricium nominamus, non esse illico, ac confectus est, tenuissimum & optime nutrientem; sed adhuc admodum spissum, at facillimo negotio mutandum in tenuissimum & belle nutrientem, ultimo nostro humori, qui corpus uniuscujusque nutrit, non absimilem. Judico videlicet, liquorem nutricium, dum secernitur a reliquis uteri humoribus, esse albumini ovorum analogum, quod est admodum spissum, & simul calore incubatus in tenuissimum & optimum pulli nutrimentum convertendum. Constituto autem eo, quod dictus liquor sit albumini ovorum similis; clarum est, isto mulierem ipsam, in qua genitus est, haud refici, nonque facile vasis bibulis posse absorberi. Cur autem nutricius hic embryonis non attenuetur in utero mulieris non gravidæ? haud aliam assigno rationem, quam quod non sit datus ad ipsum mulieris corpus reficiendum.

573. Quemadmodum, inquam, albumen ovi, cum sit ad pulli tantummodo rudimenta explicanda, & explicata nutrienda productus, in non alium venit usum: similiter liquor nutricius in muliere, ceterisque animalibus feminis adhibetur a natura in evolvenda solum

stami-

stamina hominis, inque eorum incrementum. Sicuti dein illud, quamvis esset maxime nutriens, non evolvit primordia pulli, nisi fuerit antea calore incubatus attenuatum; sic liquorem æque nutrientem debere, existimo, ut utilitati esse possit, prius dissolvi calore singulari, qui est in utero post conceptionem clauso, & non in hoc aperto. Veluti porro albumen, si non cedat in nutrimentum pulli, fit, etsi esset blandissimum, mora putridum, adeoque acerrimum; pari ratione degenerat liquor nutriens in utero feminæ, si non adsit primordium hominis explicandum, vel infans nutriendus. Quemadmodum denique v. g. gallina tunc solummodo, tumque semper, accesserit ad ipsam gallus gallinaceus, seu non, apta est ad concipiendum, paritque ova, quando generatur albumen in ejus ovario; ita quoque mulier, ceterumve quodlibet animal femineum tunc tantummodo, quando liquor nutricius, qui postea degenerat, prius natus est in ejus utero, dispositum est ad concipiendum. Videamus jam quoad satisfaciat causa hæc nostra quinque postulatis supra §. 542. commemoratis.

574. Prima ibi facta quæstio versatur in eo: Cur nempe aggregetur sanguis in utero, nascaturque species plethoræ, dum, neque prius, instat fluxus menstruus? Ad hanc respondeo, quia acer circa id tempus factus liquor nutriens vasa sua coercentia irritando allicit humores corporis sive sanguinem, veluti quodvis aliud acre aliquam corporis partem vellicans, ac inflammans, unde partes affectæ vicinæque tument, rubentque.

575. Ex hoc responso clara desumitur ratio, cur uterus non statim post fluxum fiat iterum adeo plethoricus in mulieribus etiam toto corpore plethoricis, ut fluxum reducat? quia nempe abest causa irritans, & sanguinem ad uterum advocans.

576. Eodem e fonte emanat ratio, cur non solum uterus, sed vasa simul hemorrhoidalia ceteraque utero contigua repleantur sanguine in non nullis feminis? quia scilicet mulieres hujusmodi habent nervos admodum irritabiles, ex quo major contingit in eis affluxus

san-

ſanguinis ad uterum, parteſque ipſi adjacentes; quam in aliis mulieribus.

577. Ad alteram §. 542. motam quæſtionem, quæ videlicet ſit cauſa, qua uterus ad ſe conſtringendum permovetur? patet reſponſio ex recenter allatis. Quippe norimus, quamlibet corporis partem, fibris muſcularibus inſtructam, dum irritatur, ſe fortiter contrahere. merito id itaque concedemus utero quoque, per acrimoniam proritato.

578. Eſt fluxus iſte primo die parcus, qui dein increſcit in diem uſque tertium; (loquor de pluribus) poſt iſtum minuitur rurſum, donec penitus ceſſet: & cur? en ratio. Liquor nempe nutricius eſt primo die minus acer, cujus acrimonia tanto magis increſcit, quanto calor corporis eſt major, per copioſum adcurrentem & inflammantem ſanguinem ſuccenſus. Poſteaquam autem tertio fluxionis die uterus, per ſtimulum admodum exagitatus, tantopere ſe conſtrinxerat univerſus, ut plurimam liquoris nutricii acreſacti partem expreſſerit una cum ſanguine contento, debet remittere ſtimulus, igitur etiam fluxus, atque continuo in dies deficere, uſquedum omnis acrimonia fuerit cum ſanguine expulſa.

579. Inde facile porro ſumitur ratio, quare mulierum aliquæ magnam fundant ſanguinis copiam; e contrario autem aliæ parciſſimam? quia in illis multus perficitur liquor nutricius, copioſum proinde quoque acre irritans; in iſtis vero paucus, pauca idcirco etiam acrimonia. Sunt præterea mulierum aliæ plus ceteris plethoricæ, majorem ideoque liquoris nutricii copiam præbentes.

580. Eadem hæc major minorque liquoris nutricii, & ſubinde acrimoniæ copia eſt cauſa, quod fluxus menſtruus in quibusdam mulieribus ſit peſſimis ſtipatus ſymptomatibus; in aliis vero decurrat abſque multis moleſtiis.

581. Major hæc etiam minorque dicti liquoris quantitas manifeſtam reddit rationem, cur fluxus in eadem femina ſit nonnunquam gravibus injuriis ſociatus & doloribus; quandoque vero mitiſſimus? prout

ſcili-

scilicet plura vel pauciora, magis aut minus acria ingerunt instante fluxus tempore mulieres; aliquando dein otiantur multum; non raro autem obruuntur curis, vel majore corporis exercitio absumunt suos prius humores, unde necesse est (quod idem in aliis æque accidit secretionibus) liquorem hunc nutrientem esse plus aut minus copiosum, plusque vel minus acrem.

582. Sicuti deinde non abundantiæ sanguinis tribuendum esse puto, quod plethoricæ & otiosæ multum cruorem profundant tempore menstruationis, sed magnæ potius quantitati liquoris nutricii acrefacti; ita ex opposito non penuriæ sanguinis adscribendum esse judico, quod fluxus retineatur in morboso corporis statu, aut post morbum vehementem, sed defectui liquoris nutricii.

583. De mulieribus illis, quæ sanam ducunt vitam, immo concipiunt, tametsi non unquam ullum senserint fluxum uterinum, dici poterit, liquorem prædictum perfici quidem in ipsarum utero, sed illico absorberi quoque, & in circulum deferri, non itaque coacervari, propter defectum fortassis receptaculi, in quod hic liquor esset deponendus & colligendus.

584. Admissa commemorati liquoris degeneratione in utero non fecundo, patet necessitas fluxus menstrui in non gravidis, & non lactantibus, quantumvis foret parcissimus: Patet item, non esse prorsus necessarium, ut fluor iste sit ruber, sed sufficiat eum esse mucosum, aut subcruentum: Liquet porro non minus, cur fluxus retentus in non gravidis & non lactantibus inducat cacochymiam ac morbos singulares, quales acre irritans suscitare consuevit? In aperto est demum etiam ratio, quare morbi, quos remanens in corpore sanguis menstruus gignit, neutiquam cedant venæ sectionibus, aut ceteris, quæ plethoram imminuunt tam universalem, quam etiam singularem?

585. Secundum hanc nostram sententiam iniquum agunt Medici, qui vomitum aut sputum cruentum, retento cruore menstruo natum, quem natura per sputa, vel vomitu ejicere molitur, opiatis & adstringentibus sistere, aut venæsectionibus a pulmone aut ventri-

triculo avellere satagunt. Num autem æquus aut iniquus sit horum medicorum conatus? Viris in praxi firmatis definiendum relinquo. Ad me quod attinet, fateri cogor me obſervaſſe, ſputum ejusmodi, diluentibus conſervatum, vindicaſſe ægras ab omnibus earum malis.

586. Juxta eadem iſtam opinionem noſtram non promovent ſemper fluxum menſtruum medicamina, quæ Therapia nominat emmenagoga. Adaugent quidem acrimoniam liquoris nutricii, proinde etiam fluxum, aromata; ceteraque acria; at non ſemper. Hinc ea potius, quæcunque demum fuerint, ſunt emmenagoga vocanda, quæ memorati liquoris adjuvant ſecretionem, & ſimul tollunt cauſam, a qua fluxus inhibetur.

587. Si quis porro effectricem a me poſceret fluxus immoderati, adducam rurſus acrimoniam majorem, dicamve, humores inquilinos eſſe multum acres, qui deinde admixti liquori nutricio degenerato non poterunt non gemminare vires ejus ſtimulantes, quæ humores inquilinos plus æquo alliciunt, & uterum ad vehementiorem ſolito ſui contractionem compellunt. Eſt mihi autem ſermo de pluribus, ſiquidem nimia humorum abundantia, aut maxima vaſorum laxitas, vel ſumma nervorum mobilitas, & ſimilia ſunt etiam interdum cauſa fluxus immodici.

588. Verum ſi acrimoniæ humorum eſt in multis mulieribus tribuenda nimia ſanguinis per uterum profuſio; minus certe probanda eſt generalis in fluxu copioſo quorundam medicorum cura, conſiſtens in repetitis ſanguinis miſſionibus, alumine, aceto, narcoticis, ac ſimilibus potentiſſimis conſtringentibus.

589. Cauſam periodi, (quod tertium eſt §. 542. poſtulatum) eadem ratione poſſe in liquorem nutricium conjici, qua ipſam conjiciunt quidam medicorum in plethoram uteri; in œſtrum aliqui venereum; vel Cl. Aſtruc in liquorem lactiformem, nemo non videt. Si enim hi omnes jure definiunt menſis ſpatium ad congregandam debitam in utero ſanguinis, œſtri venerei, vel liquoris lactiformis copiam; æquius nos certe idem determinabimus temporis intervallum ad degenerandum liquorem nutricium. Quandoquidem &

ſan-

ſanguinis, & œſtri venerei, & humoris lactiformis aggregatio, veluti ſupra expoſuimus, lauto vivendi genere multum augeri; atque contra parco prorogari poteſt. Aſt degeneratio, niſi fuerit impedita, indiget pène omnis definito temporis ſpatio.

590. Veriſimilem efficit hanc noſtram periodi cauſam id quoque, quod illa, queis degeneratio liquoris cujusvis inquilini ſtagnantis, adeoque etiam nutricii, accelleratur, ancellerent quoque fluxum; & ex adverſo quæquæ degenerationem iſtam inhibent, retardent pariter fluxum.

591. Cauſa citioris ſolito fluxionis hujus eſt derivanda ſecundum hanc noſtram ſententiam non a plethora, cum pleræque feminæ, tametſi corpora earum ſcaterent humoribus, debitam obſervent periodum; ſed rectius ab acrimonia ſingulari, ſanguini permixta, & cum liquore nutriente ſecreta in utero, quæ degenerationem liquoris iſtius promovet. Ratio porro fluxus retardati deſumi poteſt a contrariis, ab iis videlicet petenda eſt, quæ degenerationem impediunt liquoris nutricii, ut ſunt mucoſa, acida, refrigerantia & ſimilia.

592. Si quis effatum hoc noſtrum ideo in dubitationem vocaret, quod per febres continuas vel intermittentes, in quarum calore degenerant humores inquilini fere omnes, cohibetur fluxus menſtruus; Is, cupio, meminerit, in febrili corporis calore plurium ſimul fluidorum turbari elaborationem, quoniam ne quidem viliſſimus perficitur tempore febris in pulmonibus aut naribus mucus. Verum ſi liquor nutricius non conſicitur, aberit cauſa menſtruationis, quamvis omnes degenerent in corpore humores. Gallina pariter haud recte valens ova non parit.

593. Dum corruptum liquorem nutricium, vaſa ſua ſine remiſſione rodentem, nobis ob oculos ſiſtimus, videmus, iſtum ſe conſtringere, ac quaſi inflammari, unde neceſſe eſt, ut univerſus uterus, immo ipſe quoque organiſmus trahatur ſimul in conſenſum, atque commoveatur. Hoc ſtatuto facile concipimus rationem quorumvis ſymptomatum (quod quartum eſt §. 542.

postulatum) menstruationem præcedentium, veluti sunt dolores lumborum, lassitudo corporis, calor circa inguina, inquietudo, capitis, pulmonum, ventriculi &c spasticæ affectiones, pulsus mutatus, dicrotus, quem nominamus uterinum, & similia.

594. Præter hæc symptomata notamus quoque in non paucis mulieribus lancinantes quarundam partium dolores, epilepsias, pustulas in facie, passimque in earum corporis superficie prurientes, supurantes &c, priusquam menstrua erumpant. Est etiam ejusmodi effectus feminis signum certissimum instantis fluxus menstrui. Verum quid designant affectiones istæ fluxionem præeuntes? non profecto aliud, quam partem aliquam acris sive degenerati, opinor, liquoris nutrientis fuisse resorptam, & subin ad dictas corporis partes depositam.

595. Si porro cogitemus, increscente acrimonia liquoris nutricii, tantopere irritari vasa coercentia, uterumve in consensum simul abripi, ut is se fortiter constringat, perspicimus, cuncta ea debere necessario oriri symptomata, quæ fluxum comitantur; debere videlicet mulieres admodum mobiles pessime affici, aut interdum etiam convelli, antequam sanguis ipse prodeat: superata vero resistentia, quam cruor, per minima uteri vascula exprimendus, non raro invenit in istis, & expulsa simul parte aliqua acris irritantis cum sanguine, debere remittere pessima nunc dicta symptomata.

596. Faciles damus dein etiam rationem ex hac nostra menstruationis sententia, cur in quibusdam feminis mucosus primum, & post istum subcruentus prodeat ex utero humor, antequam sanguis ipse exprimatur? item cur pari, qua cepit, ratione fluxio remittat iterum, & terminetur? Accidit id illis nempe mulieribus, quarum uterus lente ac in dies magis magisque se constringit, non itaque subito vehementer universus, parique lento modo relaxatur remittente fluxu.

597. Consimilem causam (quod ultimum est postulatum §. 542.) fluxus mucosi & subcruenti in bestiis adstrui posse, nemo inficiabitur, existimo. Quin immo

mo ad verisimilitudinem maxime videtur accedere, dum afferitur, liquorem aliquem blandum, albumini ovorum analogum, in utero bestiarum pedetentim e sanguine secerni, & porro in quibusdam, in viliorum scilicet animalium generibus citius, in aliis vero tardius generari, degenerarique, atque subin uterum ab eo proritari, copiosos que sive tantos ab eodem allici humores, qui uterum partesque ipsi contiguas fluidis replent, & in tumorem elevant, taliterque aptum efficiunt eum ad concipiendum. Accedit & stimulus ad venerem, ab œstro venereo, per exagitatum ac leniter inflammatum uterum commoto, inductus. Dum hæc contingunt in bestiis, disponuntur istæ ad coitum, &, si coeant, concipiunt.

598. Opinari quis posset, cum causam menstruationis dicam esse parem causæ fluxus mucosi in bestiis, quem pene omnes ab œstro venereo derivatam volunt, eandem veneris materiem intelligi a me per liquorem nutricium. Verum adeo minus hos ego duos liquores unicum ac eundem esse censeo, ut eos potius diversissimos reputem. Liquores sane, qui dispares maxime exerunt effectus, non possunt esse indole æquales. Differentia, quæ intercedit inter hos duos liquores, est ista: 1*mo* Liquor veneris sive œstrum venereum invitat mulierem ad copulam quemadmodum virum; neutiquam autem liquor nutricius. Est ille 2*do* semper talis genio, ut titillet; iste vero est in principio blandissimus, & postquam acer factus est, non titillat grate, sed rodit, & inflammat partem, in qua hæret. Ille 3*tio* excernitur in quovis coitu, in quo satisfit cupiditati venereæ; iste autem tantummodo tempore fluxus menstrui. 4*to* Excernitur ille in gravidis quoque & lactantibus, dum viro junguntur; iste autem transit in his omnis in nutrimentum homuncionis. Ille 5*to* si immodice excernatur, enervat mulierem; Iste vero exprimitur universus sub qualibet fluxione menstrua sine virium jactura. Ille 6*to* si non excernatur in non gravidis & non lactantibus, ingreditur in circulum, succenditque humores inquilinos; Iste autem in non gravidis, veluti supra vidimus, non excretus,

& in sanguinem delatus, pessimos gignit morbos. Est ille 7mo copiosus in lascivis, & modicus in ceteris; Iste copiosus in plethoricis, etsi non lascivis, & parcior in non plethoricis, etsi lascivis. Ille denique 8vo perficitur in effoetis quoque; Iste vero in his non amplius.

599. E differentia postremo nunc loco allata clarum est; causam, ob quam fluxus menstruus desinit circa annum ætatis quinquagesimum, referri a nobis in obliterata & rigefacta vasa illa minima, in quibus nominatus sæpius liquor nutricius perficiebatur antea, & secernebatur. Effoetas proinde non plus esse fluxui menstruo obnoxias propter defectum liquoris istius.

600. Hinc prodit ratio, quare menstrua habeantur pro signo fecunditatis, puellaque sit idonea ad generandum, quamprimum fluxus hicce adparet; contra vero mulier, dum iste desiit, non amplius concipiat, quamvis plethorica permaneat & viri cupida: Cur item fluxus iste non sit signum fecunditatis adeo generale, ut exceptionem non admittat? Sive cur feminæ maturæ, quantumvis nunquam senserint fluxionem uterinam, concipiant nihilominus tamen?

601. Deducta porro causa deficientis fluxus menstrui in effætis ab inopia liquoris nutrientis, agnoscimus rationem, propter quam morbi & symptomata, quæ in effætis notamus, postquam fluxus iste desiit, sint diversissima ab illis, quæ retentionem hujus fluxionis sequuntur in junioribus non gravidis? Cur etiam prioris generis morbi subigantur remediis, quibus nec quidem imminuuntur morbi generis alterius.

602. Ex hucusque dictis desumitur pariter ratio sequentium: Cur nempe mulier, quæ paullo ante fluxum menstruum concepit, raro foetum conservet? Cur conceptus sit firmissimus fluxu terminato? Cur uterus non irritetur in gravidis, ut se constringeret, tametsi turgeat humoribus? Cur causa abortus non sit semper plethora? Cur is non semper impediri possit venæsectionibus & adstringentibus? Cur nutrientia blanda, quamvis plethoram adaugeant, rarius efficiant abortum? Cur sub fluore albo sæpe emaneat menstruus? Cur mole-

stiæ,

ſtiæ, quas remanens in corpore ſanguis menſtruus ſuſcitare conſuevit, non accidant ſub fluore albo, tametſi menſtruus deſit? & ejusmodi plura.

603. Abſoluto menſtruationis negotio, expoſitaque diſcrepantia organiſmorum ratione ſexus, transeamus ad potentiarum vires pro diſparitate ſexus æſtimandas. Cum enim maxima ſit differentia inter organiſmos quoad ſexum, tanquam cauſam prædiſponentem, debent neceſſario potentiæ, cauſæ utpote procatarcticæ, diſparem habere vim in organiſmum, diverſe diſpoſitum.

604. Prima ſexus animadverſio, cujus natura rationem habet, eſt in ætate puerili. Quoniam ſapientiſſima illa vitæ conſervatrix inflammat jam puerum ad aſſumendas actiones, queis corpus ejus ſenſim roboratur, & idoneus fit perficiendis poſtea actionibus virilibus; ubi ex adverſo puellam relinquit otioſam: Illi inſpirat gaudium in luſibus, quibus corpuſculum exercetur; iſti vero delectationem in luſibus minime defatigantibus.

605. Similes iſtis erigit natura inſtinctus in adultis, facitque, ut vir delectetur actionibus, quæ majorem depoſcunt muſculorum robur, ſcientiis, peregrinatione, & quæ hujusmodi ſunt; mulier autem gaudet in ſuis prolibus, in rebus & curis domeſticis, in quiete corporis, & ſimilibus.

606. Diſcrepantia iſtius generis actionum, a natura concitatarum, elucet adhuc magis in animalibus ratione deſtitutis: In his enim natura tam diſpares movet inſtinctus agendi, ut alios prorſus ſuſcitet in mare, & alios in femina, quemadmodum quilibet ea facile diſpicit.

607. Si deinde ad diſſimilitudinem organiſmorum, quantum ad ſexum, convertimus animum, haud miramur, quod natura, ut ſuo vitam tuendi munere rite defungatur, aliter operetur in viro, & aliter in muliere, atque in iſta materiem morbi ſepenumero expellat cum cruore menſtruo, veluti non raro contingit in morbis, in quibus natura materiem ſive crudam, ſive coctam hac via eliminat.

 608. Ve-

608. Verum non in morbis solum, sed in sano quoque corporis statu eiicit natura noxium e corpore per uterum. Exterminanti enim naturæ materiam podagricam cum sanguine menstruo adscribendum esse videtur, quod feminæ rarius vexet podagra, quamdiu fluxu menstruo sunt obnoxiæ.

609. Neque dein etiam causæ corporeæ, sed naturæ magis, cuncta in nobis rite ac utiliter disponenti, in acceptis referendum esse judico situm embryonis fætusque in utero maxime commodum, & partui futuro, faciliori reddendo, accommodatum.

610. An natura subveniat parturientibus? sive an omnia, quæ circa partum occurrunt, ad mechanismi leges referri possint? ipsi definiant Physiologi. Titubamus certe, dum omnia ista secundum leges hydraulicas, aut hydrostaticas exponere volumus, ut sunt dispositio viarum, quæ transitum infantis multum levat: singulares rerum utilium instante partu appetitiones; dolores partum præeuntes; conspiratio omnium totius corporis musculorum, & similia.

611. A natura diximus capite primo debilem adjuvari organismum, dum est in actionibus ad conservandam vitam necessariis constitutus: id ipsum videtur præstare non nunquam in partu quoque. *Totam quandoque familiam*, ait Illustriss. p. m. L. B. van Swieten in comment. ad §. 1296., *vidi desolatam*, *dum metuebant*, *ne ob torporem & debilitatem matris unquam felix succederet partus. Ubi tamen veri partus dolores urgere ceperunt*, *omnis torpor cedebat*, *vires antea suppressæ redibant illico*, *& faustum sequebatur puerperium.*

612. Disceptatur inter Physiologos, utrum partus fiat per unicas infantis, aut potius per solas uteri parturientis actiones? Pro utroque pugnant rationes pene pares. Pro utero decertat peculiaris ejus conditio, humorumque influxus in eum tunc maximus, atque prætervoluntaria omnium musculorum animalium constrictio, cumprimis vero fetus mortui feliciter editi: Pro fetu autem stant rationes istæ: pulli avium propriis viribus reserant suum claustrum, & exeunt ex ovis; prosperi deinde partus sunt sæpe observati mor-

tuis antea genitricibus. Verum ſi utrumque caſum intime contemplati fuerimus, extra dubium eſſe cenſeo, in utroque ſuum præſtrare auxiliatricem naturam. Compellit, inquam, natura pullum in ovo, dum is ad maturitatem pervenit, ad confringendum roſtello receptaculi ſui corticem, concitatque in fætu maturo niſum, quem impendit, dum carcere ſuo liberari deſiderat, ipſumque dirigit enitentem: Contra vero aſſumit fetu mortuo vices uteri, adjuvatque partarientem modo ſingulari, cujus vires quoque adauget, & excitat.

613. Quantumvis liquori nutricio in ſanguinem devecto dederimus, quod ubera gravidarum tumeant & diſponantur ad lactandum; contingunt nihilominus tamen quæpiam poſt partum, quæ a nulla cauſa corporea deſumi poſſe videntur, veluti eſt febris lactea, & lactis ad ubera determinatio.

614. Cauſam febris lacteæ eſſe prorſus ſingularem, omnium eſt ſententia. Derivant eam quidem medici, qui mechaniſmo litant, a revertente in circulum ex utero poſt partum ſanguine. Verum utrum hæc ad id credendum ſufficiat ratio? judicent ipſi hujus aſſertores. Mihi, fateor, talis haud quaquam adparet. Siquidem recedens ex utero ſanguis deberet aut ſolum plethoram, aut febrem, ſi tamen aliquam ſuccendere poſſet, ſuſcitare ceteris ſimilem. A natura itaque potius eſt derivanda peculiaris hæc febris, in conſervationem neonati erecta.

615. Determinationem porro lactis ad ubera provenire a natura e ſequentibus conjiciendum eſſe rationibus opinor. *1mo* Eam mammarum laxitati attribui haud poſſe judico, quia idem deberet evenire in quavis muliere; imprimis vero in illa; quæ jam lactaverat. *2do* Determinatio iſta ſumit initium cum febricula ſingulari, quam abinde lacteam nuncupamus, cujus effectricem nunc aſſeruimus eſſe naturam. *3tio* Tanta ſecernitur lactis quantitas diebus ſingulis, ut quis exiſtimet, eam eſſe fere æqualem copiæ chyli nutricii. Quis eſt autem, qui rationem adferet e mechaniſmo corporis mulieris, cur chylus pene omnis quotidie de-

educatur ad arterias mammarias, fecernendus in iftarum glandulis? Vix ullus, opinor. 4to Demum fi determinationem fanguinis majorem ad caput, dum intenfius meditamur, naturæ referimus in acceptis; hæc æque eidem ob easdam rationes eft referenda.

616. Organifmi, tanquam potentiæ agentis, vim difcrepare inter fexum adeo clarum eft, ut neminem præterire poffit. Quoniam in aperto eft illum organifmum minoribus viribus fubigere ingefta tenacia, cujus vafa funt firma, qualia funt in organifmo viri; quam eum, cujus vafa funt admodum tenera, veluti funt corporis muliebris: Ex adverfo autem diutius multo refiftere organifmum muliebris, propter humores valde frigidos & vafa laxa, acrimoniæ putridæ vel inflammanti; quam organifmum viri, & fic porro.

617. Eft animæ quoque poteftas varia quoad fexum. Cum enim minus longe fit mufculorum robur in feminis, quam viris, clarum eft, haud unquam mulierem ea poffe perficere viribus fuorum mufculorum, quæ vir valet per fuos.

618. Habet etiam mulier fyftema nervofum plus multo fenfile plusque mobile; quam vir. Habet propter fenfus externos acutiores, perceptionemque objectorum majorem, & impreffiones idearum vehementiores; quam ob rem eft pronior ad terrorem, animique affectiones, atque propter magnam fpirituum mobilitatem celerior in judicando, & ad loquendum facilior; quam vir.

619. Ob majorem vero medullæ cerebri mollitiem habet mulier memoriam quoque viro meliorem; & cum objecta, per organa fenfuum ad fenforium commune delata, magis imprimantur in medullam cerebri mulieris, debet vis etiam imaginandi, & pertinacia in propofito, ac fimilia effe vehementiora in femina; quam in viro.

620. At minor nervorum firmitas in muliere cum copioforum humorum determinatione ad uterum indicant, feminam effe minus aptam ad ftudia & meditationes acutas, inque longius temporis fpatium continuandas. Siquidem ad profunde meditandum eft &

per-

nervorum ac medullæ cerebri robur necessarium, & major simul, quam sit organismi, liquidorum appulsus ad caput.

621. Summa nervorum irritabilitas in muliere, quanta rarius observatur in viris, est causa, quod femina convellatur ab heterogeneis stimulantibus, quæ virium vix movent; e contrario autem majus humorum frigus in muliere est causa, quod alcalina & inflammantia minus afficiant organismum muliebrem, quam virilem. Hinc clarum est, potestatem heterogeneorum in organismum maxime pariter variare ratione sexus.




CAPUT TERTIUM.

DE TERTIA CAUSA PRÆDISPONENTE, SIVE DE TEMPERIE ET IDIOSYNCHRASIA.

622 Discrepat organismus per temperamentum,
623 estque istud causa, quæ illum disponit ad morbos.
624 Differentia inter organismos quoad temperiem est prima in vasis,
625 Deinde in humoribus,
626 eorumve conditione varia,
627 inque ipsis visceribus.
628 Unde quorundam refertur ratio.
629 Alia porro dissimilitudo organismorum petenda est a diversa consuetudine,
630 alia ab æquilibrio corporis universi,
631 vel partis singularis,
632 cujus etiam meminisse oportet in praxi.
633 Quampiam discrepantiam inducit abundantia humoris quoque peculiaris,
634 aliam inopia ejusdem,
635 aliquam porro varia irritabilitas nervorum animalium,
636 & aliam nervorum organismi.
637 Varietatem corporum humanorum nihil clarius demonstrat,
638 quam canis domesticus.
639 Differt ideoque genus humanum ratione conditionis organismi ab omni alio animalium genere.
640 Inde maxima patet temperamentorum varietas,
641 & morborum quoque ab una eademque causa productorum.
642 Est proinde temperies ægri medico cognitu necessaria prorsus.
643 Quocirca jam veteres disposuerunt genus humanum in classes, sive in temperamenta,
644 hasque primum juxta humoris cujuspiam singularis dominium,

645 dein-

645 deinde juxta humores simul acceptos,
646 quibus alii porro adjunxerunt vasa quoque,
647 quidam vero a pluribus corporis partibus temperiem desumendam esse perhibent.
648 Dissentiunt Authores in numero pariter classium.
649 Dominium quod attinet liquoris supra alios peculiaris cogitatione fictum est.
650 Neque universum genus in quatuor solum classes se sinit constringi.
651 Fusior dein temperiei expositio est multum molesta;
652 temperamenta vero composita nihil certi designant.
653 Est alia proinde temperamentorum distributio instituenda.
654 Temperiesque organismi separanda a temperamento animi,
655 & juxta vasorum conditionem disponenda,
656 cumprimis vero secundum variam corporis staturam,
657 suadentibus observationibus.
658 Altitudinem igitur cum pinguedine corporis spectemus in distribuendis temperamentis,
659 adnexo utriusque gradu.
660 Exinde novem emanant temperamenta,
661 Habet quidem hæc quoque distributio suas dificultates,
662 quæ tamen imminui possunt
663 per vocabulum admodum.
664 His subjungenda est peculiaris nervorum conditio.
665 Animi temperamenta numeramus quinque,
666 ab animi affectibus deprompta.
667 Organismi, & animi temperamenta sunt conjungenda,
668 dum ægrotantis describitur temperies.
669 Vires potentiarum variare debere quoad temperamentum, patet ex supra dictis.



CA-



CAPUT TERTIUM.

DE TERTIA CAUSA PROEGUMENA SIVE DE TEMPERAMENTIS.

622. Præter ætatem & sexum intereſt ea quoque diſparitas inter hominum organiſmos, quæ eſt quoad vaſorum humorumque conditionem, nexum, proportionem partium organiſmum conſtituentium in variis variam, ſeu quoad corporis conformationem, quam nomine temperamenti, idioſyncraſiæ, aut ad mentem medicorum mechanicorum naturæ, cuivis hominum propriæ, exprimere ſolemus.

623. Vires potentiarum ſive cauſarum procatarcticarum ſecundum diverſam ſolidorum fluidorumque corporis conditionem variare, latet neminem. Quare recenſent Authores medici temperiem inter cauſas prædiſponentes. Utile proinde agemus nos pariter, ſi cauſam iſtam prœgumenam, quantum operis poſtulat ratio, perſcrutati fuerimus.

624. Differentiam primam quoad temperamenta efficiunt vaſa corporis. Sunt enim quidam hominum habitus laxiſſimi; contra alii ſtrictiſſimi; non pauci autem inter hos medii. Sunt præterea aliqui corpore forti & robuſto; alii e contrario debiles & multum teneri. His inſuper diſcrepat corporum ſtatura ita, ut quipiam ſint corpore alti; alii puſilli, & multi mediocres.

625. Altera inter organiſmos diſſimilitudo ſita eſt, veluti ex antegreſſis deſumitur, in humoribus. Siquidem fluida non poſſunt non reſpondere vaſis ſuis coercentibus, non utique, niſi tenues, fluere in vaſis anguſtis; in corpore robuſto non eſſe alii, niſi multum; & e converſo in tenero non niſi minus compacti.

626. Ad-

626. Admiscent dein humoribus suis varii hominum varia nomine cibi, potus, condimenti &c, per quæ liquores corporis attenuantur, vel inspissantur; unde fiunt plus vel minus elastici, & ad motum faciles vel torpentes; non raro inquinantur etiam acrimonia salina, putrida, acida, celtica, podagrica, aliaque.

627. Discrepantia organismorum quarta desumenda est a dispari viscerum conditione. Quoniam exploratum est, quemlibet fere hominum habere aliquam sui corporis partem ceteris debiliorem, quospiam videlicet caput, alios pectus, non nullos viscera abdominis, & alios aliam. Est autem illa potissimum pars corporis debilior reliquis, quæ aut plus usu vexabatur in sanitate, ut nervi a literatis, pulmones a cantatoribus, artus ab opificibus &c; aut quæ deterebatur multum per antegressum morbum, ut ventriculus per copiosum vomitum, uterus per partum difficilem & sic de ceteris.

628. Ex observatione ista prodit in lucem prædisponens multorum morborum causa, derivaturque ratio, cur literati, aut longis curis confecti frequentibus crucientur spasmis? cur opifices, dum post plurimorum annorum exercitia corporis majora fructum suorum laborum carpere volunt, ab exercitio ideoque desistunt, articulorum morbis corripi soleant? Cur alii ad anginam, alii ad colicam, & ad alias alii corporis affectiones morbosas sint multum proclives?

629. Quantam differentiam inter organismos, quæ sit quinta, inducat consuetudo diversa, comprehendit omnis, qui animadvertit, quid ea possit in corpore humano, quamque dispares quilibet assumpsit earum.

630. Est præterea sexto æquilibrium tum universale, tum singulare, quod efficit, ut Organismi, quamvis essent in reliquis similes, differant inter se. Illi etenim, qui opiparam & simul otiosam vivunt vitam, non possunt, si coctiones debite procedant, non fieri plethorici; sicuti e contrario illi nunquam nimiis gravantur humoribus, qui vix tanta ingerunt, quanta pereunt de ipsorum corporibus.

631. Plethora ſingularis contingit iis laute viventibus, qui aliquam ſui corporis partem habent ceteris infirmiorem, adeoque minus reſiſtentem preſſioni eliquorum humorum. Quemadmodum igitur ad plus relaxatam corporis partem liquores preſſi undequaque ruunt; ita clarum eſt, debere iſtam, vel modice increſcente ſanguinis copia, humoribus aggravari, ac plethoricam fieri.

632. Quantæ animadverſionis digna ſit in praxi hæc plethoræ particularis reminiſcentia, norunt omnes in medicando profecti. Quandoquidem non ſolum acrimonia humórum, aut crudum ſanguinis, ſed ipſi etiam optimi liquores inquilini, dum copia eorum magna eſt, deponuntur ad relaxatam ſupra modum corporis partem.

633. Diſparitatem ſeptimam facit nimia fluidi cujuspiam ſingularis inquilini, ut muci, bilis, pinguedinis, aquæ, ſpermatis &c abundantia. Quoniam unusquisque humor ſeorſum poteſt eodem modo, quo ſanguis ipſe ruber, cujus abundantiam peccantem plethoræ nomine inſcribimus, ſuperare copia liquores, atque diſcrepantiam inferre inter organiſmos. Sic major ſpermatis v. g. copia ſuccendit magis humores corporis; quam minor.

634. Octava deinde organiſmorum diſſimilitudo deduci poteſt ab inopia cujusdam humoris inquilini. Quid eſt enim, quod alvum in ſicca temperie duram efficit, & raram, niſi defectus muci, inteſtina illinentis? Quid ex adverſo eſt cauſa interdum torminum inteſtinorum, niſi hæc eadem muci abſentia? lanquet quisque amiſſa multa materia ſpermatica.

635. Si porro convertamus oculos ad diverſam in variis hominum nervorum mobilitatem ac irritabilitatem, deprehendimus nono tantam diſcrepantiam inter organiſmos, ut idem remedium, quod aliquorum nervos ſentientes vehementer exagitat, alios vix moveat. Unicus leviſſimus & multis gratus quoque odor v. g. roſæ quorundem ſyſtema nervorum animale conturbat univerſum.

636. Æqua-

636. Æqualis huic advertitur varietas irritabilitatis decimo in nervis etiam organismi. Quippe quotidiana docti experientia norimus, quospiam a lenissimo purgante ad numerosam compelli alvum exonerandam, quale aliquos ne quidem semel evacuaret.

637. His major adhuc utriusque systematis nervosi differentia elucet inde, quod quisque fere hominum peculiaris rei odore aut singularis cibi sapore recreetur. Est, inquam, semper aliquid, quod singulos nostrum plus ceteris grate afficit, plusque instaurat; & contra est quilibet hominum ita comparatus, ut re eadem, quæ alios pulchre reficit, ingrate moveatur.

638. Canis domesticus solo odoratu quærit herum suum in hominum congerie perditum, & invenit etiam amissum. Hinc est evidens, effluvia cujusvis humani corporis esse odore diversissima, ac cuivis propria. At vero cum effluvia hominum discrepent inter se, necesse est, ipsa quoque corpora tum quoad liquida, cum etiam quoad solida esse inter se distincta.

639. Varietas ista transpirationis corporum humanorum significat, organismos hominum differre ab organismis animalium ratione destitutorum in eo, quod quilibet humanus emittat effluvia odoris prorsus singularis; non sic autem corpora bestiarum. Istæ enim, quæ ejusdem sunt speciei, habent effluvia odoris penitus æqualis, veluti canis venaticus indicat, qui alium edit sonum latratus, dum leporem, & alium dum cervum, aut vulpem persequitur.

640. Collatis omnibus hucusque dictis est in aperto, tantam existere inter hominum organismos ratione temperamenti discrepantiam, ut vix duos reperias pares; sive tantam, ut merito statuendum sit, quemlibet hominum habere organismum singularis conditionis, & a ceterorum omnium constitutione abludentem.

641. Ex hactenus adductis liquido patet, varietati huic organismorum tribuendum esse, quod eadem caussa morbifica, idemque peccatum in sex rebus non naturalibus commissum, diversos in variis suscitet morbos, eosque gradu maxime dissimiles.

642. Est

642. Eſt igitur temperies non minus, atque alia quævis cauſa prædiſponens, id, quod morbos deſignat, in quos pronus eſt unusquisque organiſmus; quod ideoque ducit medicum in agnitionem cauſæ morbificæ; quodve inſuper nobis indicat cibos, remedia, & ipſum regimen in ſingulis ægris in uſum vocanda. Si quid itaque medenti eſt cognitu neceſſarium, eſt certe ægrotantis temperies.

643. Neceſſitatem iſtam notionis temperamentorum agnoverunt jam antiquiſſimi medicinæ Cultores, quam ob cauſam intendebant vires ſuas in id, ut univerſum genus humanum, etſi unusquisque peculiarem ac propriam haberet corporis conditionem, in claſſes quaspiam ſive temperamenta conſtringerent, quibus deinde ſingulis peculiare impoſuere nomen.

644. Deſumpſerunt hanc claſſium diſpoſitionem quidam Authores a ſolis humoribus inquilinis, aſſerebantque aliquem eorum dominari præ ceteris in humano corpore, & quaſi imperium tenere in corpus univerſum. Fluida, quibus ſupremum ejusmodi concedebant imperium, erant bilis flava, eadem atra, ſanguis ipſe ruber, & mucus ſive phlegma, a quibus claſſium nomenclationem deduxerunt, dixeruntque, hominem, in cujus corpore ſuperat, veluti credebant, copia & viribus humores reliquos bilis flava, eſſet temperamenti Cholerici; in quo bilis atra, Atrabiliaris; ubi ſanguis, Sanguinei; & demum ubi phlegma, Phlegmatici.

645. Dominium iſtud unici liquoris ſupra integrum corpus humanum haud arridebat ſucceſſoribus. Unde iſti rectius ſe acturos rati diſtributionem hanc inſtituerunt ſecundum conditionem omnium ſimul conſideratorum fluidorum, atque, retentis iisdem claſſium denominationibus, voluerunt appellari temperamentum cholericum, dum fluida corporis ſunt calida & ſimul ſicca; Attrabiliare, cum ſunt frigida & ſicca &c.

646. Succeſſores porro iſtorum neceſſarium arbitrabantur, ipſa quoque vaſa corporis in animadverſionem ſimul ſumere, eorumve rigiditatem & laxitatem cum humoribus conjungere: Qua de cauſa ſtatuunt, in homine temperamenti cholerici fluere humores calidos in

tem-

vasis rigidis; in temperie sanguinea liquores calidos in vasis laxis, & sic de ceteris.

647. Sunt præter istos aliqui, quibus hæc pariter temperamentorum dispositio minime sufficiens videbatur ad describendam hominis temperiem, quod nempe brevis nimis esset. Quocirca longam confecerunt cujusvis temperiei descriptionem, tum a solidorum fluidorumque conditione, capillorum colore &c; tum etiam a diversa animi in suos affectus proclivitate petitam.

648. Quemadmodum dissentiunt medicinæ Institutores in definiendis temperamentis; ita non magis concordant in determinando eorum numero: Boerhave recenset istorum octo; multi adstruunt solummodo commemorata quatuor; non nulli vero, quibus quatuor ista omnibus prorsus hominibus comprehendendis haud sat capacia adparebant, ajunt, plures hominum e duobus vel tribus temperamentis aliquid participare, ideoque habere temperiem e pluribus compositam. Ad istorum mentem est numerus temperamentorum magnus. Videamus quid de his authorum institutis existimare liceat?

649. Assertum veterum, dominari videlicet præ ceteris liquorem in nobis aliquem, qui causa foret temperamenti sive effectuum, quos organismus animusque exerunt ob temperiem corporis, jam exolevit, quapropter istud attigisse tantummodo sufficiat.

650. Solis quatuor classibus universum complecti genus humanum, atque per unicam vasorum rigiditatem & laxitatem cum humorum calore & frigore temperamentum plene exprimere velle, nimium esse, clare patere judico. Proinde hanc pariter distributionem humanæ gentis absque multa refutatione dimittendam esse, sum opinatus.

651. Per fusam deinde corporis descriptionem, ejusque partium enumerationem, atque animi insuper affectionum expositionem simul definire quodvis temperamentum, esse non tantum multis onerare memoriam, sed etiam nec satis firmum; neque sufficiens, existimo. Potest enim aliquis duorum aut plurium simul temperamentorum habere signa,

652. Superſunt Temperamenta compoſita: Verum quid dicamus de iſtis? ego, conſiteor, nullus aſſequor mentem medicorum, qui in deſcribendis morborum caſibus aſſignant ægroto temperiem ſanguineo-melancolicam, aut phlegmatico-ſanguineam &c. ignoro enim, quid hi per vocabulum antecedens, quidve per conſequens intellectum velint? vaſane? an vero humores? vel fortaſſis utraque ſimul? At ſi temperiei expoſitio e duabus compoſitæ tam eſt obſcura, qualis, quæſo, non eſſe debet, quæ e tribus coaluit.

653. Temperamentorum diſtributionem ac totius gentis humanæ conſtrictionem in claſſes maximis implicitam eſſe diſicultatibus, nullum latere poteſt. Attamen cum temperamenti ægri ſit medico prorſus neceſſaria, videamus, utrum non aliquam temperierum diſpoſitionem deprehendere, ſive cujusvis infirmi temperiei deſcriptionem, quoad medico eſt cognitu neceſſaria, adferre valeamus.

654. Ad claſſes has conſtruendas, ex paullo ante dictis confeci, oportere, *1mo.* ſeparare ſyſtema nervoſum animale ab organiſmo, ſive in alias diſponere claſſes conditionem nervorum, quæ animæ ſubſunt imperio; & in alias conſtitutionem organiſmorum. *2do.* Ipſum quoque organiſmum ita dividere, ut alia nervis ejus obveniat claſſium diſpoſitio; & alia vaſis majoribus. Tractabimus itaque primo de temperamentis organiſmorum qnoad vaſa majora; ſecundo quoad eorundem nervos; & poſtremo de temperamentis, ut aimus, animæ.

655. Laxitatem vaſorum & rigiditatem plurimum valere ad deſcribendam corporis conditionem adeo clarum eſt, quam quod clariſſimum. Hinc ea quoque ordinandis temperierum claſſibus retinenda eſſe, nullus dubitavi. Verum cum ſæpius a medicinam ignaris; atque earum, quæ ad plenam ac neceſſariam morboſi ſtatus deſcriptionem pertinent, inſciis depoſcatur medicorum per literas conſilium, non quidquam magis neceſſarium eſſe ſum arbitratus, quam temperamentorum definitiones ita inſtituere, ut omnibus liquido pateant, proinde illis etiam, qui artem medicam docti

non

non ſunt, ut hi quoque debitam ac neceſſariam ægrorum temperici notitiam medicis a ſe remotis per literas dare queant. Quare loco verborum *laxum* & *rigidum* ſubſtituere vocabula *pinque* & *macre*, vocabula utpote omnibus notiſſima, ſatius eſſe duxi.

656. Præter laxitatem autem & rigiditatem vaſorum judico ipſam etiam corporis ſtaturam eſſe ad diſponendas temperamentorum organiſmi claſſes adhibendam. Siquidem cogitanti palam eſt, humores ad obeundum ſuum circulum per corpus univerſum tanto longiori opus habere temporis intervallo; quanto altior eſt corporis ſtatura; & viciſſim eos tanto citius abſolvere ſuum circuitum, quanto corpus eſt, in quo ſluunt, ſtatura minus. Unde ſequitur, ſanguinem eodem temporis ſpatio tanto rarius feri per pulmones, tantove minus ſubire vehementiſſimam iſtorum actionem, ſeu tanto minus compingi ac perfici; quanto corpus eſt magis procerum; e contrario autem tanto melius elaborari; quanto iſtud eſt brevius.

657. Illatio iſta corroborari videtur per id, quod homo ſit eo agilior, eo loquacior, eo calidioris indolis, eoque pronior in animi affectiones, ſi tamen corpus ejus non fuerit male conſtitutum; quo eſt ſtatura minor. Cuncta iſta ſignificant, humores eſſe in puſillo magis compactos, pluſque elaſticos; quam in homine ſtaturæ multum proceræ.

658. Mea igitur opinione ſatis eſt expreſſa organiſmi conditio, quæ, quoad temperamentum, medico ſcitu eſt neceſſaria, ſi deſignetur altitudo corporis ægri cum pinguedine: ſi videlicet referatur, ægrum eſſe v. g. altum corpore & ſimul macrem; aut puſillum & una pinguem &c. Nam ex harum relatione priori cognoſcit medicus, ægrotantem habere vaſa rigida & humores ſpiſſos frigidoſque, quales vocamus atrabiliares, perſpirationem maximam & quæ ſunt ejuſmodi: ex altera vero, vaſa infirmi eſſe laxa, & humores blandos, copioſos, tenues, & calidos, quales damus temperamento ſanguineo, transpirationem dein minus copioſam, & ſic de reliquis.

659. Quum autem tam ſtatura corporis; quam etiam vaſorum laxitas admodum varient, ſitque ſtatura non

omnibus aut procera, aut parva, ſed multis mediocri;: ſimiliter pinguedo: Exiſtimo, vocabula *medium* & *neutrum* eſſe adnectanda prioribus ita, ut, ſi æger deſcribendus ſit ſtaturæ mediocris, hæc exprimeretur per adjunctum verbum *medii*: &, ſi neque pinguis fuerit neque macilentus, addendam eſſe vocem *neutrii.*

660. Claſſes itaque, in quas genus humanum ratione temperamenti, quantum ad medici notionem, eſt diſtribuendum, ſic diſponendas eſſe judicavi, ut claſſe 1*ma* complecterentur *Alto-macres*; 2*da Alto-pingues*; 3*tia Parvo-macres*; 4*ta. Parvo-pingues*; 5*ta. Medio-macres*; 6*ta Medio-pingues*; 7*ma Alto-neutros*; 8*va Parvo-neutros*, & tandem 9*na Medio-neutros*, ſive illos, qui ſunt ſtaturæ mediocris, neque ſimul pingues vel macilenti; ſed conditionis inter pinguedinem & maciem mediæ.

661. Diſtributionem iſtam, quantumvis eſſet ſatis ampla, ſuas nihilominus, haud ignoro, patitur difficultates, quemadmodum quælibet vegetabilium, foſſilium, & animalium in claſſes & genera diſpoſitio: ſiquidem & altitudo corporis, & laxitas vaſorum tantopere variant, ut nihil magis. Sunt enim aliqui hominum valde; alii vero minus alti: quidam admodum; alii vero minus pingues aut macres. His inſuper ſunt aliqui compaginis tenerrimæ; non pauci autem corpore robuſto & firmiſſimo.

662. Difficultatibus iſtis obviam nos venturos ſpero, ſi in deſcribendo ægri corporis temperamento (hunc enim unicum in finem ſunt claſſes temperamentorum inſtitutæ & inſtituendæ) addiderimus, & addendum ab aliis expetiverimus, ubi opus fuerit, verbum *admodum* vocabulis altitudinem vel pinguedinem exprimentibus. Juvabit dein etiam ſubnectere, num infirmus ſit corpore tenero vel robuſto? Quoniam & id medici ſcire intereſt.

663. Exiſtimo videlicet, deſignationem temperamenti, quantum ad organiſmum, qua definitur altitudo, pinguedo, & robur corporis, cumprimis ſi ipſe iſtorum gradus ſimul fuerit notatus per vocabula *multum*, *admodum* &c eſſe ſat amplam. Igitur ſi deſignationi huic adnexa fuerit ægroti ætas, ſexus, & conſuetudo, deſcriptio-

ſcriptionem deſcribendi organiſmi eſſe omnibus, medico ſcitu neceſſariis, abſolutam, opinor.

664. Conditionem nervorum organiſmi propterea §. 654. ab ejus vaſis majoribus ſeparandam, & peculiariter adnotandam eſſe judico, cum non teneri ſolum, ſed robuſti quoque corpore habeant nervos admodum mobiles; & e converſo teneri ſint animo ſæpe fortiſſimo. His accedit quod uniuscujusvis ſyſtema nervoſum ſit peculiariter diſpoſitum ſive ita, ut quodlibet pene a rebus ſingularibus, de ſe minime irritantibus, miro perturbetur modo. Quam ob rem priori temperiei deſcriptioni ſubjiciendum eſt, num corpus, de cujus reſtituenda agitur valetudine, ſit multum vel parum mobile? atque quibus rebus grate & quibus ingrate afficiatur?

665. Animi porro temperamenta, quamvis ex corporis altitudine & pinquedine utcunque poſſint conjici, ſeorſim nihilominus eas exponere, & in ſuas claſſes redigere, haud inconveniens, immo neceſſarium exiſtimo. Quinduplicem autem eſſe rationem opinior, qua animus quoad conditionem, quam temperamentum appellamus, in animadverſionem duci poteſt. Aliquos enim hominum notamus eſſe proclives in iram; alios in triſtitiam; quosdam conſtanter fere jucundos; non paucos a quavis idea movente ſive grata ſeu ingrata illico multum exacerbari; & denique non nullos vix majore percelli animi affectione.

666. Primum itaque animi temperamentum judico eſſe cholericum, quo deſignatur hominem eſſe pronum in iram; Alterum melancolicum; Tertium ſanguineum; Quartum mobile; Quintum indiferens ſive phlegmaticum. Eſt, in quam, Alius animo iracundo ſeu cholericus; alius triſti ſive melancolicus, Quidam jucundo ſive ſanguineus; alter mobili; & demum alius animo indiferens ſeu phlegmaticus.

667. Quantum hæc animi temperamentorum expoſitio addat lucis cognitioni temperiei univerſæ cujuslibet ægroti, tanquam cauſæ prædiſponenti? Quantum dein quoque interſit, ſeparaſſe temperiem animi a temperamento organiſmi? denique quamque clara poſſit per duplicem hanc, organiſmi ſcilicet & animi

temperierum expositionem fieri ægrotantis status descriptio, medico facienda? perspicit quisque.

668. At vero si medico, qui per literas consulitur, necessaria est plena sive talis, qualem nunc adduximus, & animi videlicet, & organismi, & istius nervorum conditionis, quam temperiem nominamus, accurata designatio, manca erit omnis illa curandorum morborum medico facienda relatio, cui debita non est præmissa ægrotantis temperamenti expositio. Utrum proinde prætermissæ justæ temperierum ægrorum descriptioni non sit tribuendum, quod e casibus, quibus volumina sunt repleta, morborum feliciter a medicis curatorum tam exiguos fructus carpere ac in utilitatem convertere valeamus? peritis in arte definiendum relinquo.

669. Vires deinde potentiarum quoad temperamenta expendentibus manifestum est, eas esse maxime dispares. Plus utique potest organismus in corpore alto-neutro, quam in parvo-macri: natura autem e contrario, adjutrix quippe organismi, plura præstrare adigitur in corpore parvo-macri; quam in alto-neutro: Heterogeneorum quoque vis est multo vehementior in priore; quam in altero: major in corpore isto sive forti; quam in illo seu debili.



CA-

CAPUT QUARTUM.

DE QUARTA CAUSA PRÆDISPONENTE, QUÆ EST CONSUETUDO.

670 Consuetudo disponit corpus ad morbos.
671 Est igitur de ea quoque disserendum.
672 Quid per consuetudinis vocabulum intelligatur, patet omnibus.
673 Quilibet hominum inductam habet consuetudinem,
674 & quidem peculiarem.
675 Vires consuetudinis sunt præpotentes.
676 Amittit enim per eam ipse organismus agendi facultatem,
677 quam ei unica reddit res assueta,
678 & quidem illico.
679 Magni proinde facienda est omnis consuetudo,
680 maxime in ægris,
681 atque in prognosi.
682 Organismus debilitatur re assueta,
683 quod adversus eos, qui id negant,
684 demonstratur.
685 & exemplis corroboratur.
686 Hinc noxii sunt potus stimulantes,
687. cunctave irritantia in consuetudinem deducta,
688. cumprimis autem medicamenta.
689 Est itaque omnis rerum acrium consuetudo perniciosa.
690 Triplicis generis videtur esse consuetudo.
691 Actionis videlicet,
692 qua parti corporis inducitur segnities.
693 Unde desumitur effectus venæsectionis in antevertendis quibusdam morbis,
694 atque validæ consuetæ corporis exercitationis.
695 Alterum consuetudinis genus est Rei,
696 in quo idem obvenit organismo,
697 veluti conjicitur ex exemplis.
698 Hinc optimæ quoque rei consuetudo est vitanda.

C A-

CAPUT QUARTUM.

DE QUARTA CAUSA PROEGUMENA SIVE DE CONSUETUDINE,

670. Omnes omnino Præceptores medici jubent juniores practicos ſtudioſam habere cujuslibet curæ ſuæ commiſſi tum ad tuendam, cum etiam adreſtituendam valetudinem conſuetudinis animadverſionem, & exactam ejus diſquiſitionem, nec mirum: tantam enim agnoverunt vim in conſuetudine, ut ipſam inter cauſas proegumenas retulerint.

671. At ſi conſuetudo cauſa eſt prædisponens, ſi, inquam, dimidiam conſtituit morborum cauſam, haud perdemus operam, quam in diſcutiendas hominum conſuetudines, earumque vires luſtrandas impendemus.

672 Quid conſuetudo ſit? ſive quid per hoc vocabulum intelligatur? manifeſtum eſt omnibus; Summam etiam hanc ipſam conſuetudinis ideæ perſpicuitatem exiſtimo eſſe cauſam, quod authores eam fuſius exponere, ac ſtudio de ipſa diſſerere intermiſerint.

673. Vivimus in aere, nos undique ambiente, aſt ita, ut aliqui vitam ſuam plurimam agant in atmoſphera gravi; alii in leviore; plures in recente rurali; non pauci in urbano &c. Veſcimur quoque cibis & conditione & copia diſtinctiſſimis: Multi in perenni fere ſunt corporis exercitio; alii contra otiantur pene conſtanter, & ſic porro. Singulis iſtis ita unusquisque aſſueſit, ut alienis lædatur. Habet ergo quilibet hominum inductam conſuetudinem.

674. Tanta eſt aeris, eſculentorum, poculentorum &c varietas, tantus quoque, rerum ad nutrimenta non per-

ti-

tinentium, veluti sunt potus caffe, pulvis & fumus herbæ nicotianæ &c. in consuetudinem delatarum numerus, ut fas sit asserere, unumquemque hominum peculiares induisse consuetudines.

775. Dum pulvere v. g. nicotianæ assuetus hoc destituitur, maximas sentit in suo corpore perturbationes: languet nimirum appetitus in cibos; abest potus suavitas; est corpore debilis; animo inquietus, tristis, & continuo fertur dictum pulverem sumendi desiderio. Similibus vexantur vinipotæ, si vini penuria laborant; similibus etiam mulieres, quæ potu quotidiano fabarum arabicarum sunt assuefactæ, si eo careant, & ita de ceteris rebus in consuctudinem deductis.

676. Hæc & reliqua inhibitæ consuetudints Symptomata significant, partem organismi, in quam res assuetæ suas effundunt vires, sic sensim earum usu continuato mutari, ut vim propriam agendi, quam ante conceptam habebat consuetudinem, amittat, quin amplius actione sua sine re assueta rite possit defungi. non subigit nempe vinipotarum ventriculus cibos absque vino; non solvitur alvus mulieribus, quotidiono potu caffe assuetis, sine isto.

677. Sunt deinde hæc symptomata, tam pertinacia, ut nullis remediis, præterquam rei, quæ est in consuetudine, aut ei maxime similis, cedant. Non alia videlicet stomachica tollunt languorem ventriculi vinipotarum, nisi vinum, aut liquor fermentatus &c. Unica proinde res assueta pollet viribus nunc recensita fugandi mala; unica hæc restituit facultatem & vires agendi parti, rei assuetæ penuria torpenti.

678. Quam sunt autem pertinacia consuetudinis symptomata, tam cito tamque facile abiguntur per rem assuetam, pauca pulveris nicotianæ grana, naribus attracta, tollunt temporis puncto omnes prorsus ingratissimas corporis affectiones, ob inopiam hujus pulveris erecta.

679. Hinc liquet, quam infirma sint remedia, etiam selectissima, quamque minus reficientia, optima alias, nutrimenta, quæ non sunt ad consuetudinem ægri conformata; & ex adverso quam efficacia utraque, si fuerint

rint juxta consuetudinem: inde patet, quanti facienda sit disquisitio consuetudinis in ægris.

680. Promeretur autem investigatio ista tanto majorem solertiam, quanto frequentiora occurrunt in morbis symptomata, solis rebus assuetis suprimenda. Quæ præterea deposcat in infirmis consuetuto? norunt in arte versantes. Non raro enim accidit, ut in ipsa febre acuta ad impetrandam crudi coctionem vini potum indulgere debeamus. Carnibus assueti non alio in ipsis morbis putridis magis reficiuntur alimento, quam jure carnis.

681. Est dein etiam non modicum, quod consuetudinis animadversio in morbis adfert ad prognosim. Quoniam indubitatum fere revertentis sanitatis indicium est resurgens, morbo sublatum, desiderium accersendi res assuetas in usum pristinum; sicuti certum signum est latentis in corpore morbi sive materiæ morbificæ, si concupiscentia rerum, quarum usus antea fuerat frequens & copiosus, subito pereat.

682. Modus, quo consuetudo disponit organismum ad morbum, intelligitur ex supra (§. 676.) dictis. Cum enim per rem consuetam dematur agendi facultas parti corporis, in quam res ista suas vires exerere solet; evidens est, morbos debere generari ea in parte, quæ operandi facultatem perdidit, dum homo rei assuetæ inopia laborat. Quum scilicet v. g. vinum, cumprimis fortius, quotidiano usu assuetum adeo debilitaverat ventriculum, ut is absque vino non jam conterat cibos ingestos, perspicit quisque, indigestiones & cuncta exinde oriunda mala emanare debere, si vinum non fuerit in auxilium vocatum.

683. Vulgaris, dicet fortassis aliquis, ac omnium est sententia, vinum tanto minus enervare ventriculum, ut eum potius quam maxime roboret, & digestionem mirum in modum promoveat, ipsam, subjunget, audiamus experientiam quotidianam, quæ abunde testatur ventriculum vinipotæ non satis ingesta digerere sine vino; & si hic plura solito comedebat aut dura, tenacia, dissolvit, & subigit ea vinum fortius ac spiritibus dives.

684. Vino, respondeo, promoveri digestionem nullus unquam negabo. Verum hoc ipso enervat simul ventriculum, quemadmodum omnis res longo usu in consuetudinem deducta partem corporis, in quam hæc agit, magis in dies magisque debilitat, veluti paullo antea §. 676. diximus. Quid enim significat id, quod ventriculus vinipotarum cibos non satis concoquat absque vino, aliud, quam vires istorum digerentes consuetudine potus vinosi esse fractas, & infirmatas?

685. Contueamur e contrario ventriculum aquæpotarum: Hic certe cibos tenacissimos, nisi alia corporis obstet affectio, facile conterit ocyssimeque; aut æstimemus vires digerentes potatorum: nonne tanto paucioribus satiantur isti cibis, nonne tantove dificilius subigunt assumpta; quanto plura, quantoque fortiora vina potare consueverunt?

686. Hinc liquet, quam male consulant sanitati suæ inprimis vero longævitati, qui ad cibos intimius attenuandos, & aptius subigendos delectum adhibent in mensa vinorum ad sitim reprimendam, aut transacto prandio sumunt quotidie vina insuper fortissima vel eorum spiritus ardentes. His sane non potest, nisi majus succedat corporis exercitium, non laxari vasorum firmitas, ac imminui.

687. Quidquid de vino nunc ajebamus, id omne convenit potui quoque forti fabarum arabicarum, aromatibus, fumo nicotianæ, & quæcunque sunt ejusmodi stimulantia, in consuetudinem usque delata: par enim, quæ pro vino copiosis spiritibus referto pugnat, stat pro istis quoque ratio, parique modo infirmant ista ventriculum; quo vina præpotentia.

688. Verum si vina fortia fortisque potus quotidianus caffe & similia leniora robur confringunt ventriculi, quid, quæso, existimare licet de tincturis, pilulis &c stimulantibus, & purgantibus, quæ quidam adaugendæ digestionis aut alvi exonerandæ causa sumunt in dies singulos?

689. Est igitur nihil magis infestum organismo humano, quam longa acrium stimulantium confirmataque consuetudo; nihil pejus, quam ea, quæ instar medica-

camentorum, ſolis utpote neceſſitatis temporibus, eſſent uſurpanda, in conſuetudinem uſque deferre; nihil denique perniicioſius, quam ipſa medicamina irritantia in frequentem ac pene quotidianum deducere uſum.

690. Si conſuetudinis varietatem contemplemur, deprehendimus eam eſſe omnino multiplicem: attamen ſi eam ad genera, velut oportet, referre velimus, comperimus in tria ipſam poſſe diſponi: in conſuetudinem nimirum actionis; rej; & denique temporis.

691. Conſuetudini illi vocabulum actionis adjugendum opinor, quæ ſpectat ad actionem aliquam. Sic dum quis vehementi corporis motui, aut e converſo diuturnæ ſeſſioni, luſui, meditationibus &c. quotidie indulſerat, conſuetudinem ſimilem actionis vocandam cenſeo.

692. Si porro conſuetudines ſeorſim ſive juxta genera diſcutere velimus, videtur conſuetudo actionis conſiſtere in eo, quod per frequentem eandem actionem inducatur vaſis corporis, quæ ad talem actionem adhibentur, ſegnities ac ſtupor, quo fit, ut organiſmus non amplius poſſit ſatis commode defungi quibusdam actionibus, niſi per conſuetam actionem adjutus. Inde eſt, quod in homine, qui medicamento alvum ſæpius aperire ſolet, tanto ſegnior ſenſim evadat motus inteſtinorum periſtalticus, quanto frequentior & longior eſt purgantium uſus. Similiter is, qui crebris venæſectionibus eſt aſſuetus, non jam facile abſumet humores ſuperfluos, immo tantocyus congregabit iſtos rurſum poſt ſectam venam, quanto frequentius ſanguinem miſerit.

693. Hinc clara eſt vis venæſectionum ad prævertendum ſanguinis ſputum, hemorrhagiam narium, hemorrhodium & immoderatum fluxum menſtruum &c. Non revertitur ſolummodo citius emiſſa per inciſam venam ſanguinis copia; ſed attenuatur ſimul etiam plus ſemper ſanguis ipſe, idoneusque idcirco magis fit ſubeundis vaſis minoribus

694. Conjicitur exinde quoque, quam ſit erronea illorum opinio, qui exiſtimant, corpus humanum per vehementes exercitationes ita firmari, ut id non tantum

aeris

aeris ceterorumve injuriis maximis obſiſtere queat, ſed disponatur ſimul etiam ad vitam longam. Hi certe eo plus conterunt ſuum corpus; quo durius iſtud tractaverint. unde evenit, ut continuo, ac deſtiterint ab hujusmodi motu, indigeſtionibus, articulorum morbis, & malis inde ortis laborent.

695. Altera conſuetudinis ſpecies eſt rei, ſive dum quis rem aliquam ita ſibi longiori uſu reddidit familiarem, ut ſine hac inquietudo naſcatur in animo, & in organiſmo perturbatio. Res generis iſtius ſunt numero infinitæ.

696. Idem, quod in priori, videtur in hac pariter conſuetudine accidere organiſmo; infringi videlicet vires vaſorum, in quæ agit res frequenter adhibita. Niſi nicotianæ pulvis nervos narium crebrius vellicet in aſſuetis, non ſolum nullus ſecernetur in iis mucus, ſed univerſum una torpeſcit ad actiones ſyſtema animale.

697, Corroborant hoc effatum exempla, e quibus conſtat, eo acerbius affici animum inopia rei aſſuetæ, eoque magis inhiberi functiones organiſmi, atque etiam eo gravius lædi & animum & organiſmum re aſſuetæ contraria, etſi hæc melior eſſet indole; quam res conſueta; quo diuturnior & frequentior fuerit rei aſſuetæ uſus.

698. Hinc clara emanat ratio, quare Celſus non ſuadeat, ut homo ſemper fruatur aura rurali, neque, ut quisque corpus ſuum conſtanter exerceat; ſed potius modo eſſe ruri, modo in urbe, nunc corpus movere, jam vero quieſcere? & ſic porro. Agnovit enim & indicat per id perniciem conſuetudinis rei etiam ſaluberrimæ atque actionis.

699. Tertium conſuetudinis genus voco temporis, quia fixum diei, menſis, vel anni tempus reſpicit. Eſt, ſi quis aſſuetus eſt certa diei hora rem aliquam in uſum deferre, vel actionem ponere, ut prandere, corpus movere, ludere, dormire &c.

700. Habet iſta conſuetudinis ſpecies id diverſum a duabus præmiſſis, quod deſiderium rei vel actionis, quæ eſt juxta conſuetudinem, non increſcat ſemper, veluti contingit in prioribus; ſed remittat iterum labente hora,

qua

ua conſuetudinis cupiditati ſatisfiebat quotidie, relictis mnibus malis, quæ ob defectum rei aſſuetæ remane- e ſolent. Sic qui determinata diei hora prandere ha- et in conſuetis, abſcedit cum ea, ſi prandium non mat, comedendi voluptas, permanente inanitione, ebilitate, triſtitia & ſimilibus, quæ alimentorum ino- ia ſuſcitare conſuevit.

701. Eſt & id ſingulare in hac conſuetudinis ſpe- ie, quod, ſi res aſſueta non ipſa fixa & in dies ob- ervata hora, ſed poſt iſtam, in uſum deferatur, res æc tanto jam minus opituletur torpenti organiſmo, t ipſum magis adhuc aggravet, & conturbet. Quo- irca, ſi aſſuetus non aſſumat cibos conſtituta diei ho- a, iſti prætervoluto hoc prandendi tempore non ſo- um non reficiunt corpus, ſed onerant inſuper ventri- ulum, non facile digerendi.

702. Hinc eſt in aperto ratio, cur venæſectionibus, arificationibus: purgationibus &c aſſueti non libe- entur ab affectionibus, quas plethora, vel collecta umorum ſaburra ſuſcitavit, per ſectam venam aut pur- ans, ſi iſta, ſtatuto tempore prætermiſſa, ſive hoc jam ræterlapſo adhibeantur, ſed aut repetita venæſectione, ut continuatis opus ſit purgationibus?

703. Quemadmodum autem hæc conſuetudo diver- os penitus a prioribus duabus exerit effectus; ita vi- etur etiam aliam & prorſus diſparem inducere orga- iſmo conditionem ab illa, quam inducunt priora con- uetudinis genera.

704. Ex eo, quod in hac conſuetudine, apropin- uante conſueta v. g. prandendi hora, ſurgat appe- tus in cibos; & hac recedente, ſi prandium non ſit mptum, recedat iterum, cibique, qui alias definita ora ingeſti facile digerebantur, non jam ſubigantur; on videntur tam ipſa vaſa majora per conſuetudinem tam, velut in prioribus, ſubire mutationem; quam otius nervi ſive liquor in his exiſtens.

705. Videntur ſcilicet conſuetudinis iſtius effectus dicare in exemplo citato, certa quotidie hora copio- s liquores gaſtricos, cumprimis nerveos, influere in entriculum, qui tum excitant comedendi deſiderium;

&

& deinde, si ingestum non fuerit, effluere rursum ex eo, ipsum viribus destitutum relinquentes, imparem ideoque coquendis cibis, qui tardius assumuntur.

706. Rationem, cur fixa quotidie hora contingat in hac consuetudine copiosior fucci gastrici influxus, neque citius vel tardius? & cur transacta hora remittat iterum? derivandam esse judico a causis duabus, ab ordine videlicet, quem organismus servat in omnibus suis actionibus; & deinde a singulari impressione per rem, quibusvis diebus usurpatam, vel actionem definita quotidie hora peractam, in nervos facta, sive a peculiari istorum conditione ac dispositione, qualem alias characterem nominamus, per consuetudinem inducta.

707. Ordo exactus, quem organismus semper observare intendit, servaretque, si non turbaretur a ceteris potentiis, assidue fere in eum agentibus, patet inde: 1*mo.* Est is machina, a machinis reliquis artefactis & rite constructis, in quibus omnia ordinatissime peraguntur, nihilo quasi aliena. Hinc 2*do.* organismus, veluti ratio credere suadet, si non confunderetur modo ab anima, modo ab heterogeneis, modo ab ipsa quoque natura, ordinate suis semper defungeretur actionibus. 3*tio.* Organismus absolvit sua, in quibus non conturbatur, ex ordine. Sic per novem communiter menses perducit rudimenta homuncionis in utero ad maturitatem; fixo pene ætatis anno protrudit dentes in infante; circa annum decimum quintum explicat vasa generationi dicata, & cetera, quæ pubertatis tempore accidunt, profert, & excitat; circa annum ætatis quinquagesimum cessat fluxus menstruus in mulieribus. Maxime autem elucet 4*to.* accuratus, qui organismo competit, ordo in morbis acutis, dum iste non turbatur in coquenda materia cruda.

708. Si plenam proinde quis posset facere potestatem agendi organismo, atque omnia prorsus animi pathemata, studia, & quidquid organismum conturbat, antevertere, cuncta, opinor, absolveret is ordinatim. Unde etiam esse videtur, quod in hominibus, qui ordinatam, ut loquimur, agunt vitam, omnia, quæ sunt organismi, fiant ex ordine.

709.

709. Altera consuetudinis istius causa videtur esse, quemadmodum non diu abhinc diximus, singularis nervorum conditio, per iteratum ejusdem rei usum, vel repetitas easdem actiones organismo conciliata. Existimo videlicet, sicuti per unicum in nervos sensuum factum rei eis admotæ impulsum fit aliqua in isto impressio ita per iteratos sæpius impulsus rei ejusdem vehementem fieri impressionem in nervos. Humana sic effigies infigitur tanto magis memoriæ alterius; quanto frequentius perfertur ad istius animam.

710. Peculiaris ista nervorum conditio, per eandem quotidianam impressionem ejusdem rei eis conciliata, videtur cum paullulum antea exposito organismi ordine absolvere consuetudinem temporis: Conditio nimirum sive character videtur vices agere causæ prædisponentis; ordo autem sive copiosus influxus liquoris gastrici hora determinata in partes corporis, quæ consuetudini sunt obnoxiæ, vices causæ excitantis.

711. Possem equidem totum hujusce consuetudinis negotium ad unicam nunc expositam vasorum conditionem, quam characterem appellamus, referre, ac dicere, characterem istum virtute propria suscitare certa diei hora motus omnes, quos in hac consuetudine observamus, veluti character febris intermittentis, conditioni huic nervorum & vasorum merito assimilandus, dicitur propriis viribus suscitare, ac revocare paroxysmum. Verum cum character iste non videatur earum esse facultatum, ut virtute propria febrim valeat succendere, consuetudini pariter, in dies singulos reducendæ, imparem esse censeo unicum hujuscemodi characterem.

712. Pluribus exemplis compertum habemus, febres intermittentes, imprimis quartanas, cortice peruviano fugatas, recruduisse sæpe post trium etiam mensium intervallum ob levem commissum errorem. Permanserat ergo in his casibus dispositio corporis ad hanc febrim per universum tempus intercalare, & permansisset etiam ultra sine febri, nisi error admissus supervenisset. Iste igitur, & non character febrilis, suscitavit denuo in his exemplis paroxysmos.

713. Conſtituto autem eo, quod character intermittentis permaneat corpori impreſſus ægrotantis, cujus febris cortice ſupreſſa eſt; erronea eſt medicorum illorum opinio, qui arbitrantur, characterem hujus febris deleri cortice; infirma proinde eſt potentiſſimi alias iſtius remedii vis, ſi id ad delendum characterem ægris propinetur. Nam, ſi cortex obliteraret characterem febris intermittentis, deberet etiam diſpoſitionem epilepticam, ac ſimilem, ſi non delere, ſaltem infringere; Ipſam dein etiam imminueret memoriam hominis, aboliendo infixas in eam ideas perceptas.

714. Argumenta, quæ characteris iſtius fautores adferunt, ut demonſtrarent, eum viribus propriis reducere paroxyſmos, & cortice dato aboleri, ac tali modo febrim intermittentem ſubigi, præcipua ſunt ſequentia.

715. Primum: Intermittente correptus liberrime exequitur actiones ſuas omnes tempore inter paroxyſmos medio, quin ſcilicet ullam ſentiret in corpore moleſtiam aut dificultatem. Hinc inferendum eſſe ajunt, nihil crudi peccantis exiſtere in ægro tempore intercalari, ſed quidquid fuerat noxium febrile, id omne in unoquoque paroxyſmo attenuari, & cum ſudore exterminari ſemper e corpore. Quam ob rem concludunt, character eſſe debet cauſa revertentium paroxyſmorum.

716. Secundum: Certum eſt, & innumeris fere comprobatum exemplis, corticem eſſe nocumento, ſi corpus febri jactantis non ſit ab omni crudo rite purgatum. Non reſolvit ergo, inquiunt, cortex cauſam morbi corpoream, non ſcilicet materiem febris intermittentis. Dum igitur antevertit paroxyſmos in corpore impuro, exſtinguit characterem, relicta intacta materia in corpore cruda, quæ ſubin obdurationes viſcerum, cacochymiam producit & ſimilia.

717. Tertium eſt: Longa plurimorum expertiſſimorum virorum obſervationibus inſtituti ſcimus, cortice peruviano egregie roborari nervos, qui per animi motus aut ſtudia ſunt contriti; debiles item eodem hoc medicamine inſtaurari modo prorſus ſingulari. Non eſt proin-

proinde, continuant characteris Defensores, vis alia in hocce remedio, quam firmandi nervos debiles & erigendi debilitatos: Non aliter ergo retinet parxysmos intermittentis, quam delendo characterem, cum nervos roborat, & adversus imminentem paroxysmum confirmat.

718. Ad argumentum primum respondeo: Quantumvis intermittente correptus non vehementes percipiat affectiones in suo corpore tempore intercalari, sentit attamen quilibet aliquas. Languet enim, & pallet &c. Hæc certe sunt indicia latentis in corpore materiæ crudæ peccantis. Verum etsi nihil prorsus animadverteretur in ægro dictis temporibus abalienatum a sana corporis constitutione, non probat id nihilominus, corpus ægrotantis esse ab omni crudo purum. Potest enim crudum delitescere in corpore diutissime, quin id sui manifestet præsentiam, quemadmodum latet, ut scimus, in corpore per annos plurimos materia celtica, podagrica, epileptica &c; non minus viscida in visceribus obstruens & obdurans.

719. Ad secundum dico, perniciosum esse corticem, quando corpus scatet impuris humoribus, aut adsit vasorum obstructio. Nocere nimirum eum, si materies cruda sit ea copia vel tenacitate, ut per motum febrilem, quem cortex restringit, attenuari debeat, & percoqui; non autem si materies hæc sit modica & simul tenera sive talis, quæ per unicas organismi actiones, quas cortex magis adhuc adauget, se permutari sinit, qualis videtur esse materia febris intermittentis, sive causa istius corporea. Satis est igitur corpus febri correpti esse tempore intercalari per salia & evacuantia a spissiore ac tenaciore materia depurgatum, antequam cortex adhibetur.

720. Ad Tertium demum repono, me existimare, roborari quidem, ut suscepto a pluribus vocabulo utar, nervos &, si mavis, vasa quoque corporis per corticem, ast hoc solum sensu, quod adaugeat vires organismi languentis, sicque coctiones, secretiones promoveat; non autem eo intellectu, quod nervos ipsos

 effi-

efficiat plus rigidos, aut exſtinguat impreſſiones in iſtos ſactas. Verum de his alibi.

721. Ad id magis declarandum dico, me opinari, majorem quidem partem materiæ, ſive cauſæ corporeæ febrilis, non autem eam omnem concoqui per motum febrilem, & expelli cum ſudore, aliquam ideoque ſemper remanere in corpore, quæ humores ſanos tempore inter paroxyſmos medio magis ſenſim magisque ac plures corrumpit, uſquedum tanta humorum copia eſt depravata, quanta ſufficit ſuſcitando novo paroxyſmo.

722. Cortex itaque peruvianus non efficit, meo judicio, aliud in ægroti corpore tempore intercalari, quam quod impediat confectionem novæ materiæ morbificæ, ſeu ita adaugeat torpentes tunc organiſmi vires, ut is non cohibeat ſolum degenerationem ſuorum humorum, ſed ſubigat ipſum etiam crudum, fluida corporis pervertens, iſtudque ſenſim immutet.

723. Illuſtrat hanc opinionem id, quod cortex longo temporis ſpatio poſt ſupreſſum jam paroxyſmum ſumi debeat ad præcavendum novum, tamdiu videlicet, donec omnis materia febris eſt exſtirpata & ſubacta. Profecto, ſi corticis uncia, quæ paroxyſmum antevertit, deleret characterem febris, corticis uſus foret abolito charactere prorſus ſupervacaneus.

724. Admiſſo eo, quod cortex tollat cauſam materialem ſive procatarcticam, & non prædiſponentem, facile concipimus, quare febris intermittens per corticem ſopita poſt plures etiam menſes leviori peccato in ſex rebus non naturalibus commiſſo recrudeſcat? Quare purgantia ceteraque ſtimulantia reducant ſupreſſum cortice paroxyſmum? Quare hæc ipſa cortici admixta iſtius frangant vires? Quare interdum? & quando neceſſe ſit ſimilia adjungere cortici? &c.

725. Quemadmodum autem non unicus character excitat paroxyſmum febris intermittentis, ſed neceſſaria eſt cauſa accedens; ita ad conſuetudinem æque temporis explicandam non ſufficit unica vaſorum corporis conditio peculiaris ac diſpoſitio, ſed neceſſaria videtur eſſe cauſa excitans, ſeu influxus major humorum,

cum-

eumprimis forte liquoris nervei, in partem corporis, quæ per consuetudinem mutata est.

726. Cum quævis prorsus consuetudo, imprimis longior, sit perniciosa organismo, corpusque disponat ad morbos, quia organismi infringit facultatem agendi; omni studio enitendum est, ut inducta consuetudo, rei etiam vel actionis saluberrimæ, maxime in ætate hominis ea, in qua de viribus organismi multum adhuc sperare licet, exstinguatur rursum, pristinæque restituantur vires corporis.

727. Prima duo consuetudinis genera, cum in eis nullus adsit character, sed unicus torpor in vasis, facilius possunt, nisi fuerint inveterata, ocyusque deleri; quam genus tertium, in quo præter characterem est organismus ordini obstrictus adeo, ut non sine magna perturbatione ex eo se educi patiatur.

728. Modum, quo quælibet consuetudo est evellenda, jam Antiqui præscripserunt, eumque non nisi lentum esse debere asseverabant. Non est itaque quidquam magis damnandum, quam subito & ad semel denegare organismo rem vel actionem consuetam; aut, quod isto plus adhuc detestandum, re vel actione consuetæ opposita consuetudinem exstirpare velle.

729. Inde liquet, num sanitati prolium consulant parentes illi, qui nutricem, quæ cibis duris copiosisque, aere libero, & perpetua fere corporis exercitatione assueta est, alimentis paucis, iisve facile digerendis vesci; in aere cubilis, humana transpiratione depravato, constanter versari; & ad latus infantis absque omni corporis motu esse jubent?

730. Quidcunque de consuetudine temporis retulimus, id omne, judico adhiberi posse ad morbos, qui periodum servant, explicandos curandosque. Videtur nempe in his quoque adesse & causa prædisponens, & causa simul excitans, sive & character vasis infixus, qui corpus ad morbos conservat dispositum: & causa corporea, tempore revertentis affectionis morbosæ in actum deducta, seu characterem suscitans.

731. At vero non in his solum morbis videtur explicatio ista habere locum, sed etiam in multis aliis

 perio-

periodum non servantibus, veluti est Epilepsia, Clavus hystericus, aliævc frequentiores, ejusdem semper partis affectiones. In his enim existit perennis dispositio in morbos, quibus sunt obnoxii; cui si causa superveniat excitans, dispositio in actum fertur, morbusque prorumpit.

732. Quantum consuetudo valeat in vires Potentiarum, easque mutet? desumitur ex hucusque dictis. Organismum consuetudine permutari nemo dubitat. Heterogeneorum dein vires esse pariter ratione consuetudinis maxime dispares, atque eodem, quo consuetus suamissime afficitur, insuetum confundi penitus, palam est. Animus porro ipse, ingratissimis ideis perpetuo lacessitus, ita pedetentim assuescit eis, ut quasi obdurescat ad novas affectiones. Natura demum, cui attribuimus instinctus deposcendi rem assuetam ab animo, diversos utique motus erigere debet in consuetudine diversa.

733. Ex hucusque dictis emanat ratio, cur ii, qui spirituosis multum indulgent, debilem habeant ventriculum? Cur cœnæ assuetus non dormiat, nisi cœnet? Cur angatur in aere clauso, qui in libero degere solitus est? Cur purgantia crebrius sumpta efficiant alvum tardiorem? Cur medicamina diu continuata suas tandem amittant in corpore vires? Cur plethora tantocyus increscat denuo; quanto frequentius fuerit celebrata venæsectio? &c.



SEC-

SECTIO TERTIA.

DE PRÆCIPUIS POTENTIARUM EFFECTIBUS.

CAPUT PRIMUM.

DE CALORE HUMANO.

734 Præcipuis potentiarum effectibus adnumerandus eſt corporis calor,

735 duplici ſenſu accipiendus,

736 ad quem medicus ſuam conformat medicandi rationem.

737 Triplex eſt de caloris humani cauſæ opinio.

738 Hinc primæ claſſis medici ad reprimendum calorem immoderatum præſcribunt, quæ attritum imminuunt.

739 Secundæ porro claſſis remedia, quæ putreſcentiam compeſcunt.

740 Tertiæ demum diaphoretica.

741 Diſſentiunt quoque medici in ipſa caloris materia,

742 in treſque abeunt ſententias.

743 Quare aſſerunt aliqui materiam ignis eſſe e corpore multum calente expellendam.

744 Unde ortum ducunt decantata tot alexipharmaca.

745 Aliqui vero accenſum ſulphur eſſe exſtinquendum;

746 Et denique alii leniter refrigerantibus tum pugnandum eſſe ajunt.

747 Materia caloris non eſt æther,

748 non quoque fluidum elementare,

749 neque etiam phlogiſton chemicorum,

750 ſed potius ipſæ particulæ corporis calentis.

751 Cauſa dein caloris generalis non eſt attritus,

752 neque putreſcentia humorum,



SECTIO TERTIA.

DE IIS

POTENTIARUM EFFECTIBUS

QUI SVNT

AUCTORES

ALIORUM RURSUS MOTUUM

ET SYMPTOMATUM.

CAPUT PRIMUM.

DE

CALORE HUMANO.

734. Primum inter potentiarum effectus, de quibus præcipuis in hac tertia partis istius sectione agere, atque ipsos, quantum ad praxim spectant, operisque indulget brevitas, discutere statui, sit calor, quem in nobis observamus, sive id, quod calorem nominamus.

735. Est calor iste tum effectus causæ peculiaris in nobis existentis, tum simul etiam causa efficiens multorum aliorum motuum. Quocirca duplici ratione considerandus est, tanquam scilicet effectus causæ alius; vel tanquam causa ipsa effectuum aliorum. Contemplabimur eum prius ut effectum, subinde ut causam.

736. Opinio, quam quisque medicus concepit de causa effectrice caloris corporis nostri sive humani, est tanti in praxi momenti, ut major ab ea pendeat medicandi norma. Qualem enim de hac causa cepit medicus conjecturam, talia, hac ductus, præscribit medicamina ad reprimendum calorem nimium,

737.

737. Triplex eſt Medicorum ſuper hac caloris humani cauſa conceptus ſenſus. Aliqui exiſtimant eum concitari per attritum ſolidorum ad fluida; Quidam repetunt ipſum ab humorum inquilinorum, potiſſimum vero ingeſtorum putreſcentia; & demum Alii volunt eum nobis eſſe congenitum.

738. Primæ proinde opinionis medici conatum ſuum in tractandis morbis acutis in id plurimum intendunt, ut attritum inter ſolida & fluida, tanquam immoderati caloris cauſam, infringerent. Emittunt eapropter ægris maximam ſanguinis copiam, propinantque eis aquoſa, mucilaginoſa, olea non nulli preſſa, & quidquid affrictum poſſet imminuere; abſtinent ſimul ab omnibus adſtringentibus, roborantibus, cortice peruviano ac ſimilibus.

739. Secundæ porro claſſis Fautores ad infringendum in acutis calorem nimium vires ſuas dirigunt in compeſcendam humorum putreſcentiam. Hinc univerſalia pene iſtorum in acutis medicamenta ſunt aceſcentia, acidaque ipſa, liberrima manu propinata, cortex peruvianus, arnica, præcipua quippe antiseptica, & ſimilia.

740. Tertiæ demum ſententiæ Practici, ſpreta utraque commemorata acutos tractandi methodo, damnata nimirum ſanguinis detractione, rejectisque remediis acidis, perhibent morbos auctos curandos eſſe abſorbentibus & diaphoreticis.

741. Non diſſentiunt autem Medici in cauſa ſolummodo caloris corporis, ſed etiam in ipſa materie caloris. Quidam enim, ajunt, iſtam eſſe fluidum ſingulare, & a ceteris indole diſtinctiſſimum, quod igneum vocant; Alii vero aſſerunt, eam eſſe non aliud, quam ipſum oleum ſeu pinque corporis humani inflammatum & quaſi ſuccenſum; Aliqui denique exiſtimant, hanc eſſe ipſas corporis noſtri partes minimas, in motum conturbatum abreptas.

742. Prioris (§. 741.) ſententiæ Authores diſcrepant rurſum inter ſe ita, ut quipiam eorum ſtatuant, fluidum igneum eſſe idem cum materia lucis ſive cum æthere, in confuſum motum actum; Alii autem opinantur, id

eſſe

esse liquidum peculiaris prorsus indolis, consistens in particulis subtilissimis, durissimis, per omnia tellurem componentia corpora diffusum, & se ipsas virtute propria in motum conturbatum constanter agentibus, & agere adnitentibus.

743. Practici, quibus materia ignis sive caloris est æther, solis refrigerantibus pugnant adversus calorem immodicum: Illi vero, qui fluidum igneum adstruunt esse materiam singularem, eam per cutis spiramina expellendam, & simul causam, quæ istam extricat e vasis & liquoribus corporis ægri, tollendam esse statuunt.

744. E postrema ista sententia ortum suum ducunt, suamque maximam obtinuerunt existimationem tot tantaque alexipharmaca & alaxiterica remedia. Inde est quoque mos, qui hodiedum viget inter vulgus, exprimendi sudorem, quamprimum calor aliquis major, morbum denuncians, observatur in homine.

745. Chemiæ cultores, quum materiam ignis velint esse partem oleosam (§. 741.) corporis inflammatam, quam sulphur nominant seu phlogiston, rejectis sudoriferis, & quæcunque plus augent fluidorum motum, suadent in calore nimio potum frigidum, auramque talem, aquosa, & quidquid accensum in corpore sulphur exstinquit, vitando simul studiose cuncta pinquia, & similia.

746. Illi tandem Medici, qui calorem non aliud esse autumant, quam conturbatum motum ipsarum minimarum partium corporis calentis (§. 741.), abstinent tum a stimulantibus, cum etiam ab admodum frigidis, sed solis leniter refrigerantibus humorum motum immoderatum pedetentim reprimendum esse asserunt. Videamus jam, quid de singulis his opinionibus sit sentiendum?

747. Materia caloris non esse solum ætherem ipsum, liquet vel solum inde, quod iste tantæ subtilitatis esse fertur, ut densissima telluris corpora, metalla nempe, & saxa absque dificultate pervadat. Hoc statuto nunquam posset coerceri corpore, nunquam morborum acuorum, per plures dies continuantium, fovere calorem.

748. Ignis deinde materia non videtur esse fluidum singularis (§. 742.) genii. Nam I*mo*. non posset, cum sit tenuissimum, & cuncta compactissima corpora permeet negotio facillimo, ita coacervari in corpore humano, ut febrim ardentem excitet. 2*do*. Etsi maxima congregaretur ejus copia in corpore ægri, non permaneret in hoc congregatum per dies quatuordecim & plures continuos, sed reponeret se brevi temporis intervallo in æquilibrationem cum aere ambiente, ægrique corpus desereret, quemadmodum deserit omne aliud compactissimum, & maxime etiam calens, dum id auræ frigidæ exponitur. 3*io*. Non facile, opinor, demonstrabitur, unde tot tantique & simul tamdiu perseverantes extricentur ignes elementares in morbis acutissimis?

749. Si demum pars oleosa esset materia caloris (§. 745.), veluti est nutrimentum flammæ, ægri pingues multo vehementiorem sentirent in acutis, foventque calorem; quam macilenti. Intueamur deinde radios solares in focum constrictos, quis credat, copiosissimum in isto existere sulphur inflammatum? Materia proinde ignis non est phlogiston seu sulphur.

750. Est itaque verisimilius, materiam caloris esse partes ipsas minimas corporis calentis, in perturbatum motum concitatas. Dum chalyps atteritur silici, avulsæ utriusque particulæ efficiunt scintillas & ignem. Dum radii solares in focum aguntur, isti succendunt corpora, objecta foco. Similiter videtur esse judicandum de materia caloris humani; abrasas videlicet ipsas vasorum humorumque partes minimas, & in confusum motum raptas, constituere materiam caloris. Aggrediamur jam ad ipsam caloris causam.

751. Pulsus est in morbis vere putridis tam parvus & simul tam debilis, ut nunquam ex hoc arguere possimus, opinor, tantum fieri attritum solida inter & fluida, quantum calor in his quandoque morbis, non fere tollerandus ab ægris, indicat, sive tantum, quantus ab unico affrictu humorum ad vasa jure semper posset repeti. Non est ergo attritus inter solida & humores semper causa caloris, non ideoque istius causa generalis.

752. Si deinde putrescentiam liquidorum corporis nostri adstrueremus pro causa caloris cujusvis in nobis geniti, cogeremur admittere quoque, putrescentiam e minimo in maximum gradum subito conscendere, dum ira excandescit homo, aut erubescit puella, vel repentino spasmo arctatur hypocondriacus &c. Quis id autem admittat? Postquam nives aliquamdiu tractavimus manibus, calent istæ multum non diu postea. Quis jam credat, putrescentiam humorum tunc esse in vasis calentium manuum majorem? Quis afferat, eam esse adaucti tum caloris causam?

753. Contra tertiam (§. 737) super causa caloris latam sententiam, qua statuitur, istum esse nobis innatum, sufficiet dixisse, opinor, cum calor humanus augeri possit per res corporeas, & imminui, existatque calor in corporibus non animatis, quibus utique innatus non est, esse pariter existimandum, calorem humanum habere quoque causam vere corpoream. Si innatus esset humano corpori calor, non desineret certe in cadavere.

754. Cum autem neque attritus, neque putrescentia humorum possit constitui pro causa generali sive cujusvis caloris, qui observatur in nobis; inferendum est, causam caloris non esse unam eandemque in quibusvis circumstantiis, sed eam variam esse debere.

755. Ad deprehendendas, & rectius demonstrandas caloris causas scjungamus calorem organismi, qualem communiter naturalem vel humanum appellamus, a calore majori seu præternaturali nominato, & subin disquiramus primo causam caloris illius sive organismi, & deinde istius sive adaucti.

756. Si mentem ad putrescentiam applicamus, fateri quidem cogimur, tanto majorem notari calorem in nobis sanis; quanto plus comedimus; atque etiam ingesta acescentia contrariam assumere in nobis indolem, putrescentem videlicet; denique & id, quod motus intestinus ingestorum, incipiens nimirum fermentatio & putrescentia contingat in ventriculo, perque hunc motum cibos permutari: non adigimur nihilominus putrescentiam sive motum nunc dictum intestinum admittere

pro

pro caufa caloris organifmi. Siquidem opinari licet, calorem majorem, poft plura folito affumpta natum, provenire a chylo copiofiore, minusque, quam alias, elaborato, in cor delato. Vires deinde coquentes organifmi, & non putrefcentia humorum, mutant chylum in humores inquilinos, acefcentemque eorum indolem in alcalefcentem. Poffunt denique cibi putrefieri quiefcentes in ventriculo; non vero chylus fanguini intime admixtus, & in motu rapaci conftitutus.

757. Feruntur quidem fuapte fluida noftra in putridum, & putrefiunt etiam fibi relicti. Verum non eft hæc fluidorum difpofitio ita fumenda, quafi continuus in eis ineffet motus inteftinus, in putredinem tendens; fed fic tantummodo intelligenda videtur, ut, fi quiefcant, & corruptioni dentur, non fermentent, fed putrefcant. Profecto, fi inteftinus putrefcens motus continuus ineffet in humoribus noftris, ifti brevi temporis fpatio putrefcerent in ipfo fuo motu conftituti.

758. Præcipuum putrefcentiæ fautorum argumentum defumptum eft a pifcium amphybiorum, ac fimilium fanguine, quem propterea frigidum effe reputant, quod horum generum animalia parum vorent, defit ideoque materia putrefcens. At vero, quantumvis pauca fumant alimenta; affumunt tamen aliqua. Hinc, etfi non magnus, aliquis attamen in eis animadverteretur calor, fi hic generaretur ab ingeftis. Ea pifcium genera, quæ mininoribus vefcuntur, vorant non modicum. Eft dein fanguis iftorum maxime pronus in putredinem; quocirca major etiam deberet in his notari calor; quam in ceteris beftiis. Igitur cenfendum eft potius, propterea in pifcibus &c abeffe calorem, quia fluida eorum funt minus compacta, ac multum aquofa, quocirca ad eliciendum calorem inepta.

759. Attritus proinde unicus inter folida & fluida eft confervandus, & pro caufa caloris organifmi, five moderati illius, quem communiter naturalem appellamus, ftatuendus. Eft deinde caufa ifta talis quoque, ut omnes effectus caloris humani moderati ad eam referri poffint.

760. Ad-

760. Adverſus hanc caloris cauſam ſive attritum opponunt aliqui aquam humoribus noſtris permixtam, ajuntque, hac, etſi copia ejus longe minor eſſet, ac ſit, omnem inhiberi affrictum vaſorum ad fluida, quemadmodum videmus in molis aliisque machinis, in quibus per paucas ſtillantis aquæ guttas ad corpora dura, ſibi mutuo fortiter attrita, omnis prorſus arcetur affrictus omnisque calor.

761. Aquæ, reſpondeo, copia non eſt in humoribus noſtris tanta, quanta affrictam liquorum ad vaſa impediret. Sunt enim humores noſtri adeo compreſſi, ſunt globuli quoque ſanguinis ac ſeri adeo elaſtici, & ad eliciendum calorem apti, ut, niſi aqua eis foret admixta, multorum globulorum affrictum mutuum inhibens, vehementiſſimus & fortaſſis non perferendus, naſceretur ſæpius in nobis calor.

762. Majoris dein ſive præternaturalis caloris cauſam diximus non diu abhinc eſſe non unicam, ſed plures. Ad has conquirendas neceſſarium eſſe cenſeo, hunc ipſum adauctum rurſus dividere in calorem, qui eſt ad ſenſum; & in illum, qui eſt ad thermometrum.

763. Illum dico eſſe, quando aliquem percipimus in corpore noſtro, fuerit tunc mutatus in thermometro mercurius; vel non. Per calorem autem ad thermometrum intelligendum eſſe puto eum, qui mercurium extollit ſupra gradum 92. in thermometro Farenheitiano.

764. Prior conſiſtit in ejusmodi affectione nervi ſentientis, qualem caloris vocabulo exprimere ſolemus. Igitur quidquid infert ſenſum caloris, eſt cauſa caloris. Sic partium oleoſarum confuſus in flamma motus; ſic radii ſolis; ſic acida mineralia; ſic ſpiritus vini & ſimilia urentia corpori humano admota; ſimiliter acria aſſumpta, ardoris in corpore ſenſum excitantia, ſunt cauſæ caloris ad ſenſum.

765. Inde manifeſtum eſt, cauſam caloris iſtius ſive ad ſenſum eſſe omnino variam ac multiplicem: Quodlibet nimirum acre urens, omne calefeciens, & quidcunque ita vellicat nervos corporis, ut eis imprimat ſenſum caloris, cauſa iſtius dicenda eſt.

766. Mer-

766. Mercurius ascendit in tubo, quando plus rarefit per ingressum calorem, seu quando partes ejus minores in conturbatum motum conjiciuntur a particulis alienis minimis, in parem antea motum actis. Ad hoc proinde, ut mercurius, ad experiendum humanum calorem corpori applicatus, rarefiat, necesse est, ut calor, sive particulæ corporis humani calentis egrediantur ex eo, & se insinuent per vitrum in mercurium.

767. Calor iste non est amplius affectio nervi sentientis, sed est motus singularis, quem conturbatum nuncupamus, partium minimarum corporis nostri. Causa itaque hujus caloris est omne, quod liquidorum particulas in dictum compellit motum. Cum autem causæ istæ sint variæ, sequitur causam adaucti in nobis caloris esse pariter non unicam, sed plures. Adeoque non solum attritus, nonque solum putrescentia humorum, sed vina quoque, aromata, salia, quæ volatilia nominamus, & similia subtilissima corpora, quibus tenuiores humorum nostrorum partes in motum conjiciuntur, quem calorem appellamus.

768. Quantum intersit rite in praxi dispicere quamlibet adaucti caloris causam? neminem latere potest. Quandoquidem aliter supprimendus est, qui succenditur per affrictum; aliter, qui excitatur a putrescentia humorum; & denique aliter, qui a spirituosis, salibus valatilibus ac similibus est concitatus, in quo neque humorum simul adest putrescentia, neque major attritus.

769. Calor ad sensum est interdum conjunctus cum calore ad thermometrum, non raro autem contingit, ut alteruter solummodo notetur in humano corpore. Calor ad sensum adest sine altero, dum calida, vel urentia nervos afficiunt corporis; calor autem ad thermometrum sine priore observatur, quando æstatis tempore, vel in morbis ita sensim obdurescit animus assiduitate caloris, ut eum vix amplius sentiat, etsi thermometrum ipsum auctum esse designet.

770. Hinc colligitur, calorem, qui est ad sensum, esse aliquem verum, eum nempe, qui est cum accelerato simul fluidorum motu, sive ab hoc ipso genitus;

& alium spurium seu illum, dum soli nervi afficiuntur, quin auctus simul adsit liquorum itus.

771. Inde porro conjicimus, sensu caloris nos sæpenumero falli, istumque non esse semper argumento, humores corporis in solito celeriorem feri motum. Si motus fluidorum eotum responderet vehementiæ caloris, quem ægri sentiunt aliquando in morbis, foret is tantus, qui vasa corporis pauco temporis intervallo contereret penitus.

772. Quum deinde mercurius in thermometro non ascendat, nisi calor major pertingat ad superficiem corporis usque; evidens est, istum non ascendere, si calor vehemens interna solum corporis occupat. Ergo non semper exprimit thermometrum gradum caloris; ergo neque isti semper fides habenda est.

773. Ad dignoscendum igitur determinandumque calorem in ægris neque sensus sufficit, neque thermometrum. Judicium proinde medicum sive ex alterutro, si unum videlicet fallere videretur; sive ex utroque simul sumpto eum definire debet.

774. Ex his liquido patet, non ea, quæ vulgo refrigerantia vocamus, corpus humanum vere refrigerare; sed illa potius, quæ causam abigunt ipsam adaucti caloris. Quocirca sunt modo mulcilaginosa, modo acida, modo aqua tepida, nunc excitantia antispastica, nunc vero ipsa vesicantia &c. quæ calorem temperant ægrotantis.

775. Post definitam caloris materiem, postque demonstratas caloris tum moderati, cum etiam vehementioris causas, investigemus hac occasione frigoris quoque causas effectrices, disquisitu, ut opinor, dignissimas.

776. Duplicem pariter tuentur Physici de frigoris materia opinionem. Aliqui volunt eam esse spicula minima conditionis prorsus singularis, quæ a refrigerantibus nitri vulgaris viribus mutuata compellatione vocamus nitrosa; Alii vero asserunt, frigus nihil esse per se, non utpote aliud, quam unicam caloris absentiam.

777. Frigus non esse solam caloris, ut ajunt, privationem, sed veram materiam peculiarem, demonstrat congelatio artefacta. Nam hujus explicatio est verisimilior ea, dum dicitur, materiam frigoris ope ignis glaciej circumpositi pelli ex hac in vas defossum in glaciem, liquore conglaciando repletum, talique ratione istum condensari; quam sit illorum, qui inquiunt, ignem egredi e conglaciando liquore, sicque istum congelari. Dum glacies in hac operatione conspergitur sale marino, solvitur, & majus simul notat frigus. Videtur itaque salibus extricari materies frigoris, & in actionem commoveri.

778. Asserto isti ipsæ suffragantur observationes medicæ. Illi enim medici, qui frigoris materiam negant, ac propterea congelatas humani corporis partes, ut frigore sive ignis inopia inspissatos in eis humores rursum dissolverent, calore fovebant, gangrena eas perdiderunt: Contra vero illi, qui secundum opinionem alteram applicatis ad congelatas partes nivibus aut linteis, aqua glaciali humectatis, materiam frigoris evocare moliuntur, eas conservant, vitamque ipsis restituunt. Optimo sunt etiam indicio spicula minima, quæ in superficie partis congelatæ post usurpatas aliquamdiu nives prodeunt in conspectum.

779. In horum confirmationem sint ista: Caro animalium occisorum fit per congelationem tenerrima; qualis non fit per ignem. Omne dein genus fructuum arborum amittunt conglaciando suum saporem, quem tamen ipsis non adimit ignis. est ergo frigus cum materia quadam peculiari conjunctum; calor vero cum nulla.

780. His addendum est, ventriculum eorum, qui potu glaciato sunt assueti, non digerere cibos sine tali, tametsi ad finem prandii sumatur potus caffe. Materies ergo quæpiam est admixta aquæ glaciatæ, quæ digestionem promovet in assuetis, & ingesta, quemadmodum de carne frigore indurata nunc disserebamus, dissolvit.

781. Ex his derivatur ratio, cur eos ægrotos, quibus frequens fuerat rerum glaciei frigore penetratarum in sanitate usus, mirum in modum levet in his quo-

que regionibus noſtris potus glaciei frigore mixtus, dum ipſa febri acuta laborant?

782. Admiſſa hac ſententia, materia videlicet frigoris ſingulari, non ſunt morbi acuti, qui a corporis refrigeratione ortum ducunt, vere putridis adnumerandi, & neque ut tales tractandi.

783. Patet inde etiam ratio, cur ſit admodum noxium, calens valde ingredi hypocauſtum, aut ad fornacem, dum is multum calet, accedere, quando corpus humanum eſt copioſo frigore prehenſum? Videtur enim materia tunc frigoris pelli, quemadmodum ſit in conglaciatione artificioſa, e partibus corporis externis ad interna, in quas poſtea crudeliter ſævit.

784. Si frigoris cauſas quoad variam ejus magnitudinem diſcuſſerimus, deprehendemus pariter, ad eas rite determinandas neceſſitatem diſtinquendi frigus in id, quod eſt ad ſenſum; & in alterum, quod eſt ad thermometrum.

785. Frigus ad ſenſum, quod ſimul eſt ſpurium, ſive abſque imminuto ſæpe humorum per vaſa motu, excitatur in nobis a cauſis diverſis, potiſſimum vero ab applicatione heterogenei, quod minus calet; quam pars corporis, quam id tangit; & deinde a ſpaſmoticis affectionibus, quales contingunt frequentes hypocondiacis & hyſtericis, velut eſt frigus, quod iſtæ conturbatæ percipiunt in vertice capitis.

786. Frigus ad thermometrum dicitur illud, quando mercurius axillis humanis admotus non aſſequitur gradum caloris organiſmi ſive 92dum. ſignificat proinde, minorem eſſe ſub axillis calorem, quam ſit organiſmi ſeu naturalis, vel ſimul ſæpius, etſi non ſemper, totius corporis, ſeu fluidorum in iſto circuitum tardiorem.

787. Ortum iſte ſuum ducit vel a lentiori ſanguinis per vaſa motu, vel a ſpaſticis affectionibus partium corporis externarum. Quidquid igitur tardiorem efficit liquidorum in corpore motum, aut ſpaſmos inducit, eſt cauſa frigoris ad thermometrum.

788. Hinc liquet, quam parum ſit in frigore quoque, quod infirmus accuſat, examinando ſive ſenſibus,

ſive

five thermometro fidendum: patet item, quanti roboris sint argumenta e thermometro deprompta (primum morientibus, deinde mortuis applicato, & in illis acutissima febre jactatis non majorem caloris gradum designante; quam in istis, id est, post mortem) ad evincendum, putrescentiam humorum esse causam caloris humani.

789. Discussis caloris frigorisque causis, definitaque eorum materia; examinemus ipsorum vires & effectus. Sive posteaquam calorem & frigus sumus contemplati tanquam effectus aliarum causarum; intueamur jam ea tanquam causas aliorum in humano corpore effectuum primo caloris & demum frigoris.

790. Albumen ovi per unicum calorem incubatus ita perficitur, ut rudimenta pulli explicet, nutriat, & ad maturitatem perducat. Hinc credere fas est, liquorem æque plasticum, qui corpori humano est nutrimento, solius caloris inquilini viribus converti in corpus nostrum, idve nutrire.

791. Cum ad permutandum albumen ovi in humores pulli certus ac definitus sit necessarius caloris gradus, determinatus videtur quoque necessarius esse ad nutriendum corpus humanum. Hinc non mirum, quod corpus emacietur hominis calore vehementi.

792. Ignis sive calor culinæ mutat indolem rerum, quæ decoquuntur: permutabit proinde is ingesta pariter in ventriculo: Est itaque causa potentissima & simul necessaria digestionis. Verum de hoc satis dicta sunto in Physiologia.

793. Calore percoqui materiam crudam in morbis acutis adeo manifestum est, ut id nemo in dubium vocet. Est ergo calor in nobis causa coctionum quoque fluidorum, in ipsis arteriis existentium.

794 Dicet forsitan aliquis, cum certus isque moderatus solum calor sit nutriendo corpori utilis, hocque unico converti liquorem nutrientem in nutrimentum, sequitur, calorem, qui isto est vehementior, qualis est in quovis morbo acuto, non posse concoquere crudum, & in humores inquilinos permutare.

 795.

795. Aliud, respondeo, est materiam morbi concoquere; & aliud humores inquilinos plus elaborare, aut chylum in istos convertere. In prima enim coctionis specie mutatur quidem indoles liquoris crudi, ast non in conditionem humoris inquilini, sed tantum in blandiorem, atque antea fuerat, ad quam permutationem necessarius est major caloris vis; quam sit moderatus organismi. In coctionibus vero, dum chylus in serum sanguinis est transmutandus, vel istud plus attenuandum, non alius utilis est calor, quam dictus organismi.

796 Ex hac coctionum differentia certum nobis reddidimus, tanto minus sperandam esse benignam materiæ morbificæ resolutionem, quanto calor est vehementior, adeoque tanto certius exspectandam nobis esse evacuationem criticam; quanto febris est major, atque tanto magis venerendum, ne morbus recrudescat, quanto fuerat, comparate ad febris antegressæ magnitudinem, paucioris materiæ coctæ facta expulsio die critico.

797. Quandoquidem ideam caloris constituimus in motu perturbato partium minimarum ipsius corporis calentis, sequitur, caloris effectus esse corporis humores rarefacere, promovere, dissolvere, immutare, liquidiora dispellere, vasa deterere, & relaxare.

798. Effectus istos ratione diversæ magnitudinis caloris esse diversissimos, atque etiam sæpe oppositos, notum est omnibus. Sic calor moderatus resolvit humores; major autem inspissat eos: moderatus promovet coctiones organismi; excedens autem evertit ipsas.

799. Frigoris porro effectus esse recensitis oppositos, est evidens. Quandoquidem rarefactos calore humores corporis & in motum actos reprimit, aut penitus sistit, atque condensat, vasaque constringit, & eorum inhibet actiones.

800 Præter effectus istos videtur materia frigoris habere vim maxime omnium resolventem, si accedente calore in motum compellatur. inde est, quod gelu penetrata mactati animalis caro fiat, dum decoquitur, tenerrima; quod membra humani corporis congelata solvantur in mephitim putridissimam, si calore foveantur

tur

tur; quod poma, pyra, ceterique fructus vegetabilium conglaciati perditis odore saporeque pristino, abeant, admisso calore, in pultem insipidam; & denique quod aqua glaciei frigore assuetorum coctiones multum adjuvet, & similia.

801. Diximus paullo antea & calore, & frigore inspissari humanum sanguinem: verum contrariæ hæ caussæ efficiunt istum spissiorem modo prorsus dispari. Quoniam ille ejecta parte sanguinis tenuiori indurat, & exurit partem reliquam seu crassiorem; frigus autem videtur suis spiculis globulos sanguinis & seri figere, conjungere, ac in unum cogere, velut cogit partes aquæ in corpus solidum, dum ipsam in glaciem convertit.

802. Hos præter effectus caloris & frigoris est is quoque notandus, quem hæc duo exerunt in se mutuo. Expellitur nempe alterum ab altero, ab eo videlicet, quod præstat viribus, loco, quem occupat, attamen ita, ut, si frigus viribus excedens ejiciat calorem, non accidat aliud, quam quod imminuatur motus in partibus antea calentibus; e converso autem, si calor vincat frigus, vera materies peculiaris, quam frigoris materiam appellamus, expellatur, quod dein subit partes vicinas, eisque sua infigit spicula.

803. Modum, quo calor & frigus ingrediuntur corpus humanum, exposuimus non diu abhinc, ubi diximus, neutrum absorberi vasis bibulis, veluti cuncta cetera heterogenea resorberi debent; sed se absque ordine insinuare in solida simul & fluida corporis nostri, ad quæ perveniunt.

804. Calor ad potentias relatus, & tanquam earum effectus consideratus, est ita sumendus, ut, si fuerit moderatus, sit ab organismo; si autem fuerit isto major, & repente in altum elatus, perque ideam gratam vel ingratam concitatus, sit ab anima; idem vehementior sive cito sive lente increscens, a caussa stimulante inductus, est ab heterogeneis; & denique major pedetentim increscens, inque finem salubrem succensus, est a natura.

805. Frigus porro ſecundum potentias, tanquam earum effectus, examinatum eſt ſemper aut ab heterogeneis, aut ab animo productum: nunquam ideoque a natura; nunquam ab organiſmo.

806. Ex iis, quæ in hocce capitulo ſunt recenſita; fit manifeſtum, cur admiſſo majori ad ventriculum frigore evertatur digeſtio, quæ calore poſtmodum adhibito non facile plene reſtituitur? Cur potus gelidus ſit in calore febrili inſuetis multum noxius? Cur talis in his morbis augeat putrefactionem humorum, & non inhiebeat? Cur cataplaſmata emolientia calida adaugeant inflammationem, a frigore genitam; etſi alius generis inflammationis dolorem pulchre leniant? Cur balnea pedum, alias ſumme proficua, obſint in dolore capitis rheumatico? & ſic porro.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

DE

COCTIONIBUS.

807 Alter discutiendus organismi effectus sit Coctio,
808 quæ duplicis est generis,
809 Alia nimirum in corpore sano, & alia in ægroto.
810 Expendamus utranque.
811 Alimenta in contrariam permutantur in nobis indolem.
812 Permutatio ista fit per gradus coctionis tres,
813 per chylificationem nempe, sanguificationem, & ultimi liquoris elaborationem.
814 Chylificationis instrumentum principale sunt humores inquilini,
815 inde est, quod chylus sit in quovis homine peculiaris,
816 ejus videlicet conditionis, cujus sunt liquores mutantes:
817 ex quo patet ratio, quare Decocta demulcentia parum sæpe efficiant in ægris.
818 Liquori gastrico est pariter tribuendum, quod aliqui hominum pinguescant, & contra alii emacientur ?
819 Nimia ingestorum copia depravat chylum.
820 Quamobrem virium digerentium habenda est ratio,
821 noxiaque possunt esse ipsa jura carnium spissiora.
822 Cibus agat simul vices remedii,
823 nisi natura alium deposcat.
824 Alimenta sunt ad tempus æque conformanda.
825 Vitanda scilicet in febri ipsa.
826 Est dein cepta bene chylificatio solicite conservanda.
827 Sanguificatio peragitur potissimum in pulmonibus,

866 Ani-



CAPUT SECUNDUM.

DE

COCTIONIBUS.

807. Alter organismi effectus & simul auctor aliorum multiplicium effectuum tam utilium, quam etiam noxiorum est coctio sive transmutatio crudorum in liquores inquilinos, aut saltem in blandos, inquilinis lenitudine similes.

808 Duplex proinde contingit in nobis coctio: Alia nempe, qua nutrimenta convertuntur in serum sanguinis, isque magis magisque perficitur; & alia, qua crudum sic attenuatur, & permutatur, ut fiat blandum ac innocuum, non tamen humor indigena.

809. Illa peragitur in corpore sano, vocaturque chylificatio, sanguificatio, vel alius humoris confectio; Ista vero in ægrotantibus, diciturque etiam maturatio, vel mitificatio, aut interdum supuratio. Illa perficitur ab unico pacato organismo; Ista vero per auctum humorum motum. Illa nullis stipatur symptomatibus molestis; ista multis: Perstant in illa rerum appetitiones, secretiones, & excretiones omnes; In hac autem perverteuntur plurimæ.

810. Non vanum igitur nos acturos opinor, si coctiones, quantumvis omnibus essent abunde cognitæ, paulisper ruminaverimus, atque eas primo, ut modum, quo corporis conservatur conditio sana; deinde, quo infirmus a suo morbo vindicatur; porro ut diversorum morborum fontem; & denique velut effectum potentiarum fuerimus perscrutati.

811. Cuncta, quæ nomine alimentorum assumimus, in humores inquilinos permutanda, sunt prorsus cruda, immo pleraque indolis plane oppositæ illi, quæ est fluidorum nostrerum, quippe acescentis. Quocirca

sunt

at ingesta ita per coctiones immutanda, ut deposito
ori genio, acescente videlicet, contrarium seu alca-
centem induant.

812. Metamorphosis hæc alimentorum tanta est,
unica coctione absolvi nequeat; & si unicam ap-
lare velis, procedit ea per gradus plures, usquedum
ius evadat nutrimentum corporis. Coctionem pro-
ide istam dividimus in tres, in chylificationem, san-
ificationem & in ultimi liquoris elaborationem.

813. Chylificatio porro duos complectitur coctionis
adus, digestionem scilicet sive transmutationem ali-
ntorum in chymum, & subinde istius in chylum.
nguificatio vero gradus tres, conversionem nimirum
yli in lac; hujus in serum sanguinis; & istius in li-
ores profectiores. Ultima demum coctione transeunt
mores corporis in ultimum plasticum nutrientem, qui
taffe similis est albumini ovorum in eo, quod solo
ore organismi, dum dormimus, mutetur in nutri-
ntum corporis, & in spiritus nerveos.

814. Instrumentum chylificationis præcipuum consti-
unt ipsi humores inquilini. Calor proinde corporis;
tus ventriculi vermicularis; actio musculorum respi-
ioni servientium; motus ingestorum intestinus, quem
mentationem incipientem vel putrescentiam dicimus;
denique condimenta stimulantia & solventia sunt
sæ digestionem solum adjuvantes.

815. Quum autem humores inquilini sint principalis
ssa chylificationis, sequitur, chylum in unoquoque pe-
hominum esse indole peculiarem propter singularem
singulis, quam in capite de temperamentis exposui-
s, humorum conditionem.

816. Hinc clarum est, cur multi hominum acrem
eant sanguinem, tametsi blandissimis vescantur? item
decoctiones plantarum demulcentium & inviscan-
m copiosæ parum sæpenumero possint, efficiantque
rsus acre fluidis permixtum? Ipsæ enim radices &
bæ decoctæ mutantur potius, velut cibi, in indolem
morum corporis acrium, sive a liquore gastrico ceteris-
; quam ut istos permutent, & corrigant.

817. Qua-

817. Qualis igitur eſt liquor gaſtricus, talis indole eſt etiam chymus, & deinde qualis eſt bilis chymo ſe adjungens, talis eſt quoque chylus. Quocirca ſi fluida corporis debitam habent conditionem, bonus erit pariter & chymus & chylus; e converſo autem, ſi liquores mutantes fuerint pravi, neceſſe eſt, chylum æque depravari.

818. Peculiari dehinc liquoris gaſtrici genio potiſſimum & bili tribuendum eſt, quod alimenta transeant in quibusdam in mucum, in aliis in ſanguinem rubrum, in non paucis in pingue, in aliquibus in bilem, in multis vero in acrimoniam. Si proinde hujuſcemodi transmutationem ingeſtorum emendare volumus, ipſos humores mutantes præpotentibus prius remediis corrigamus, oportet.

819. Accidit ſæpenumero, ut aut tenacia, aut plura ingeramus, quam vires digerentes ſuperare queant. Hinc neceſſe eſt, vel chylum tunc permanere crudum, vel cibos degenerare in ventriculo, & acrem componere chylum. Quid autem ab hujusmodi chylo ſit expectandum? prævidet omnis.

820. Inde eſt evidens, nihil magis incumbere medico ſive morbum curanti, ſive ſanitatis curatorem agenti, quam proſpicere chylificationi. Qualis enim, ut commune & omnibus probatum fert aſſertum, eſt chylificatio, tales ſunt cæteræ quoque coctiones.

821. Ex hoc porro liquet, quam perniciosus ſit mos vulgi, quod ægrotos exantlatis corporis viribus per frequentia, eaque ſpiſſa carnium jura & cibos farinaceos ac ſimiles reficere contendit, atque ipſos ad talia ingerenda compellit.

822. Quemadmodum autem humores inquilini pervertuntur per alimenta inconvenientia; ita nihil ocyus corrigit eos vitiatos, quam eſculenta & poculenta, quæ vitiis liquorum inquilinorum adverſantur, eaque tollunt. Hinc medicus in id quoque intendat, ut alimenta vices ſimul agant medicamentorum.

823. At vero, ſicuti non eſt lex ulla, quæ omnem reſpuit exceptionem; ita hæc etiam patitur ſuas. Quantumvis enim ratio medica ſuadeat uſum alimentorum,

quæ

quæ opposita sunt vitiis humorum corrigendorum, contingit nihilosecius frequenter, ut aut consuetudo, aut natura ipsa, quæ singularium sæpe rerum utilissimarum, rationi minime conformium, suscitat instinctus, alia deposcant, ægris neutiquam deneganda.

824. Ad chylificationis commodum pertinet & id, ut cibi potusque apto etiam tempore propinentur tum sanis, tum infirmis. Quoniam teste experientia novimus, chylificationem labefactari, si calens a motu, ab ira, vel a studiis, aut magno frigore prehensus &c mensæ assideat pransurus.

825. Inde derivamus legem practicam, qua vetuntur nutrientia copiosa in ipso vigore febris vel paullo ante eum. Sunt hæc igitur porrigenda ægris cessante, si intermittat, aut remittente, si sit de genere remittentium, febri; in hoc vero continuante tanto parcius est nutriendus ægrotans, quanto ejus corpus majori fervet æstu.

826. Quantumvis autem multum intersit, rectum facere alimentorum delectum, haud satis tamen præstitit medicus chylificationi, si animum non simul intenderit in id, ut rite cepta in eodem perseveret. Siquidem optime etiam inchoata ita pervertitur sæpenumero, ut pessimus exinde emergat chylus. quippe unius haustus gelidæ, modicum frigus, levis animi perturbatio &c. evertunt chylificationem.

827. Coctio altera, quæ est sanguificatio, peragitur pene omnis in arteriis, potissime in pulmonalium finibus. Per solum videlicet transitum fluidorum per pulmones convertitur chylus in lac, & hoc in serum sanguinis, isteque magis perficitur.

828. Cum autem humores indigenæ, inprimis sanguis ipse ruber tantam subeat mutationem in dicto transitu, ut fiat multo tenuior, magis compactus, magisque rutilans; accedat aliquid peculiare corporeum ad sanguinem in pulmonibus, quod istum sic immutat, est necesse. Quis enim concedat unicæ compressioni tenerrimarum visceris istius arteriolarum vim tantam, tamque singularem?

829. At si aliquid corporeum admiscetur humoribus, dum per fines vasorum pulmonalium feruntur, debet id contingere in inspiratione, sive extrinsecus advenire, cum aere nempe inspirari, adeoque isto prius contineri. Quæritur jam, quid hoc accedens ad sanguinem pulmonis, eumque permutans esse videatur?

830. Diximus capite præcedente, calorem esse unicum & frigus inter heterogenea, quæ per solida & fluida desissima pervadunt, quin resorbeantur. Demonstravimus præterea ibidem, frigus consistere in spiculis minimis prorsus singularibus, per easque, si vincant calorem, humores figi; si vero superentur ab eo, abripi in motum, & fluida corporis peculiarem omnino in modum attenuare, dissolvere, & permutare. Exploratum dein est etiam, gravari respirationem multorum in aere calido, sanguinemque perverti eorum, qui in tali potissimum degunt; contrarium vero obtineri in aura subfrigida, levari nimirum omnem, ipsumve insuetum, atque sanguinem sub cœlo frigido, si una corporis accedat motus, optimo tingi colore. Hæc & similia videntur demonstrare, spicula frigoris, se in globulos sanguinis infigentia, esse id corporeum, quod istum, dum per pulmones fertur, mutat, & perficit.

831. Stante hac sententia prodest tempore sanguificationis aer leniter frigidus, motus quoque levis in aura recenti; nocet aer calidus, aut effluviis animalium ceterarumve rerum inutilium refertus; præstat somnus in cubili subfrigido, quam calido, & sic porro. Verum ipsa quotidiana experientia, omnia nunc recensita & similia reipsa ita esse, contestatur, nostramque eapropter corroborat opinionem.

832. Hinc desumimus, quantum intersit, mutare sæpius aerem cubilis in morbis, maxime in putridis: Colligimus inde quoque, quam male procurent suam valetudinem illi, qui conclavi multum semper calenti inclusi noctes diesque vel modice frigidos, potissimam ideoque partem anni consumunt.

833. Lac esse liquorem indole medium inter chylum & sanguinis serum ita tamen, ut plus accedat ad ingenium chyli, quam seri, docet Physiologia, est enim li-

liquidum acefcens & non alcalefcens. Conditionem iftam habet lac humanum, vaccinum, caprinum, afininum, & propter maximam analogiam abfque omni dubio lac etiam caninum, lupinum, vulpinum, ceterarumve quadrupedum.

834. Verum fi lac vulpis, lupæ, & fimilium beftiarum, quæ folo carne vefcuntur, acefcentis eft indolis, eft chylus, ex quo eorum lac conficitur, plus adhuc ifto acefcens. Quod fi ita eft, quemadmodum ipfa ratio id fic effe credere fuadet, jubetque, non eft chylus, multo minus chymus, liquor, qui refert conditionem ingeftorum, fiquidem ifta non funt genii acefcentis, fed alcalefcentis, ex regno utpote animali deprompta.

835. At fi chymus beftiarum carnivorarum eft acefcentis valde indolis, nonque retinuit conditionem ingeftorum, fed oppofitam affumpfit, acefcentem videlicet, in earum ventriculo; fequitur, ab humoribus inquilinis hanc chymo iftorum animalium induci indolem. Liquor proinde gaftricus horum animalium, quo cibi alcalefcentes convertuntur in acefcentes, fit admodum acefcens, eft neceffe. Confirmari videtur hæc dictarum beftiarum fucci gaftrici conditio per id, quod canes, lupi, vulpes, ceteræve fimiles belluæ pauco temporis intervallo digerant offa duriffima, quæ, ut fcimus, non alcalino, fed acido liquore per breve hoc tempus diffolvuntur.

836. Admiffo autem eo, quod humor gaftricus in beftiis carnivoris fit multum acefcens; exiftimandum eft, liquorem aliquem fumme acefcentem fluere in circulum cum reliquis humoribus, qui in ventriculo nomine fucci gaftrici fecretus, aut faltem ei admixtus, tribuit folutis in eo alimentis, five chymo indolem acefcentem: Refert jam difquirere, quis fit hic liquor animalis acefcens, & unde generetur in iftorum animalium corpore?

837. Liquor gaftritus eft humor animalis, e fanguine fecretus: verum cum fanguis ejufque ferum & lympha fit indolis alcalefcentis, non eft ex fanguine five ex ipfo humore animali confectus, debet proinde effe liquor, etfi animalis, prorfus fingularis, ac peculiarem habere genitorem. At fi peculiarem, videtur is effe

P aer

aer inſpiratus, ſive materia frigoris: judico videlicet, materiam frigoris cum aere inſpirari, humoribus, qui per pulmones feruntur, admiſceri, cum eis in circulum abripi, & demum cum liquore gaſtrico in ventriculo ſecerni. Hoc poſito permanet liquor gaſtricus humor animalis, quamvis maxime aceſcentis ſit indolis, ipſisque alimentis alcaleſcentibus aceſcentem tribuat conditionem; eritque hoc ſtatuto chymus liquor plus animalis, quam referens indolem ingeſtorum,

838. At vero ſi chymus in nominatis nunc beſtiis eſt humor maxima ſua parte animalis; eſt quoque chymus humanus talis; & ſi liquor gaſtricus quadrupedum carnivorarum eſt admodum aceſcens, eſt liquor gaſtricus æque in homine aceſcentis valde indolis; generatur ergo in nobis pariter liquor aliquis multum aceſcens; eſt ſimiliter materia frigoris id in nobis quoque, quod liquori gaſtrico, & ſubin chylo lactique aceſcentem impertit indolem.

839. Conjectura iſta ſequentibus corroborari videtur: *1mo.* Compertum habemus experientia, tanto majorem eſſe appetitum in cibos, digeſtionemque tanto maturiorem & meliorem, quanto frigus aeris nos cingentis eſt acrius, imprimis ſi corporis eam ſecundet motus, tum enim ſolito citius permeat ſanguis per pulmones, majorque iſti admiſcetur copia frigoris. *2do.* languet ex adverſo & appetitus & digeſtio in calore aeris nimio. *3tio.* demonſtravimus paullo antea, materie frigoris perfici ſanguinem in pulmonibus, ipſamve cum eo auferri in circulum. *4to.* Eſt lac humanum non minus aceſcens, quam caprinum, vaccinum &c, quamvis mulier copioſis ſimul veſce ur alcaleſcentibus; capra vero & vacca ſolis aceſcentibus. *5to* dein, Longe minus incitamur a natura ad ingerenda aceſcentia & acida hiemis temporibus; quam æſtatis, etſi corpus noſtrum magis interdum exerceamus in illa; quam in iſta. Cauſam *6to.* hujus conjicimus omnes in frigus, quod aimus reſiſtere putredini. Aſt rogo, quod frigus arcet humores a putredine? non utique externum, nos cingens, iſtud enim nihil habet commercii cum fluidis circirculantibus. In frigus igitur, quod ipſi ſanguini ad

mix-

mixtum eſt, per pulmones ingreſſum, effectus iſte eſt derivandus.

840. Opinabitur fortaſſis aliquis, me deflexiſſe in veterum ſententiam aſſerentium, liquorem gaſtricum eſſe vere acidum; & cum indolem iſtius valde aceſcentem deducam a materia aeri admixta, atque dehinc ſanguini pulmonali, ac poſtea reliquo quoque ſive univerſo, me cenſere, materiam hanc eſſe acidum vitriolicum, per omnia, ut quidam arbitrantur, diffuſum; vel juxta aliorum mentem eſſe acidum nitri, aut nitrum ipſum.

841. Vtrum acidum aliquod vere exiſtat univerſale per omnia vagans? non eſt hujus loci diſquirere. Tametſi proinde tale hic non impugnem, non ſubſcribo nihilominus tamen huic quorundam ſenſui. Quare materiam frigoris, de cujus quæritur ingenio, & quæ ſucco gaſtrico aſſociata iſti tribuit indolem aceſcentem, qui ipſis poſtmodum ingeſtis alcaleſcentibus aceſcentem impertit conditionem, neque vere acidam, neque ſalinam, ſeu neque ex acido vitriolico, neque e nitro, aut ſimili corpore genitam eſſe opinor, ſed eſſe potius indole prorſus ſingularem. Nam *1mo.* ſi glaciem examinemus, non acidum ullum, non quoque ſalem tantum, quantum eſt frigus, deprehendimus in ea. *2do.* Si deinde effectus ſpectemus frigoris, atque conferamus cum effectibus acidi vitrioli aut nitri, reperimus eos eſſe maxime diſſimiles. *3tio.* Non unum eſt acidum etiam ſubtiliſſimum, quod vitro coerceri nequiret; at frigus pervadit per quælibet corpora denſiſſima.

842. Eſt igitur materia frigoris indole prorſus ſingularis, tenuiſſima, ſolventiſſima, & nulli rei corporeæ aſſimilanda, per univerſum diſtributa, ſolius caloris vi loco, quem occupat, expellenda, & ſi magna ejus copia, corpori quodam coercita, vehementioribus caloris repentini viribus exagitetur, ſua, niſi ſint fortiſſima, confringit clauſtra, ut citiſſime ex eis emergeret. Hæc videtur eſſe ratio, cur calore fota pereat pars corporis congelata?

843. His præmiſſis eſt materia frigoris tum ſanguificationis, cum digeſtionis cauſa præcipua: Quanto itaque major fuerit, ſi tamen modum non exce-

dat, ejus copia in humoribus corporis humani, tanto plus isti attenuantur, & perficiuntur, tantoque major est ciborum appetentia, meliorque digestio.

844. Mirum forte videbitur quibusdam, quod in capitulo prægresso calorem dixerim esse præpotentem coctionum, imprimis vero chylificationis causam, nunc autem frigus, rem scilicet calori recte oppositam, istiusve vires infringentem.

845. Proprius respondeo, frigoris effectus, dum globulis humorum nostrorum infigitur, est istos condensare, & non attenuare, solida deinde stringere, & non aperire, quemadmodum videmus in partibus corporis humani congelatis: Verum protinus, atque calor supervenit, quo spicula frigoris in motum aguntur, discerpunt ista humores, vasaque, velut in congelatis corporis membris pluries observatum est. Unde non frigus unicum ac per se suam, existimo, summam præstare opem digestioni & sanguificationi, sed cum calore corporis, seu a calore in motum compulsum.

846. Tertia coctio sive liquoris nutrientis & nervosi elaboratio videtur peragi in corpore universo, id est, universum in hoc conficiendo adlaborare organismum. Corticem proinde cerebrorum ad secernendos plus esse spiritus, quam ad eos perficiendos datum, opinor.

847. Causa coctionis istius præcipua videtur esse calor corporis, quo (quemadmodum accidit in ovo gallinæ supposito) liquor, reliquis magis elaboratus, albumini ovorum, ut supra memineramus, fortasse non absimilis, resolvitur in humorem nutrientem, sive in ipsum nutrimentum, & in spiritus quoque vitales seu nerveos.

848. Temporis determinatio, quo unaquæque coctio sumit initium; atque intervallum, quo quælibet absolvitur, est medico, veluti perpendenti liquet, scitu necessarium. Est igitur operæ pretium, pauca, quantumvis alioquin essent nota, de eo commemorare, ac repetere.

849. Tametsi ventriculus nunquam sit ita vacuus, ut non haberet, in quod vires suas intendat; quia tamen usu suscepimus prandere & cœnare, sive semel aut bis ventriculum cibis replere, debet iste semel aut bis interdiu majores, ac alias, adhibere vires, queis assumpta digerat, & hoc opus stricte digestionem nominamus.

850. Spatium temporis, quo ista peragitur, haud unquam accurate definiri posse, palam est. Quoniam ventriculus aliquorum digerit ocyssime; contra vero aliorum tardissime. His insuper interveniunt sæpe causæ, coctionem nunc accellerantes, nunc autem retardantes. Quandoque præterea ingerimus copiosa; & aliquando pauca, aut minus tenacia.

851. At si tamen aliquod sit nobis determinandum, constituamus hominem, qui tanta solum ingesserat inter prandendum, quanta sufficiunt reparando corpori detrito, suntque simul in proportione cum viribus digerentibus: In hoc, dico, chylificationem sumere initium terminato prandio, & pergere in horam usque tertiam vel quartam a confecto prandio, tumque partem ciborum maximam esse in chylum resolutam.

852. Excipiendi sunt autem 1*mo.* Infantes & pueri. Isti enim sæpius interdiu parciusque sunt alendi. 2*do.* senes, otiosi, & multum debiles. Siquidem in his lentissima fit digestio. 3*tio.* ii, qui corpus suum valde exercent, cibosque non diu postea, postquam eos assumpserunt, e ventriculo in intestina promovent. 4*to* dein illi, qui nulli ordini obstrictam vivunt vitam & denique 5*to.* mulieres gravidæ, & quiqui acido laborant, suntque propterea multum voraces.

853. Definitum hocce chylificationis tempus docet, molestias & mala, quæ hominem digestionis tempore invadunt, ut sunt pondus circa ventriculum, anxietas, frigus extremorum, dolor capitis, somnolentia, astma, spasmi & similia, a vitiata provenire digestione.

854. Sanguificatio perdurat, transacta digestione, spatio horarum quasi trium, veluti major tunc corporis indicat calor. Hoc temporis intervallo convertitur chyli pars major in lac istudque in sanguinis serum.

855. Eſt id autem intelligendum de copioſorum ſub prandio ciborum transmutatione in ſanguinem, non autem de leniori, qualis perennis eſt. Cum enim ventriculus ſemper habeat, quod digerat (§. 849.) ſemper ideoque chylum, quem in ſanguinem ableget; atque etiam cum chylus, qui cum ſanguine fertur in pedum extremitates, tardius reliquo revertatur ad pulmones, adſit ideoque ſemper materies in lac & ſanguinem permutanda; clarum eſt, ſanguificationem eſſe in nobis continuam.

856. Hinc eſt in aperto, cur motus corporis promoveat ſanguificationem? cur humores inquilini degenerent in fame magna? Cur ſatius ſit, pluries, quam ſemel, cibos interdiu ſumere, ſi corpus multis exercitationibus debilitetur? &c.

857. Tempus ſanguificationi §. 854. adſignatum ducit nos in cognitionem cauſæ ſymptomatum & affectionum, quæ hoc tempore in ſcenam prodire ſolent, ut velocior humorum circuitus, languor corporis, dolor capitis, dificultas ſpirandi, anxietas, calor, ſudor, aut ipſa etiam increſcentia præſentis vel occulte latentis in corpore morbi ſymptomata.

858. Ultimi liquoris elaboratio non contingit, veluti præcedentes duæ coctiones, quovis diei tempore, aut terminata ſangnificatinone; ſed tantummodo in ſomno. amiſſas enim corporis vires nulla recipimus arte, niſi ſomno.

859. Tempus, quod hæc tenet coctio, eſt quidem varium in variis, poteſt tamen majori ex parte reduci ad intervallum ſex vel ſeptem horarum. Hoc plerunque temporis curſu reparatur univerſus organiſmus, per vigilias contritus & viribus ſpoliatus.

860. Eximendi ſunt attamen infantes, quibus diurnus quoque ſomnus eſt neceſſarius; Debiles & diu vigilantes, qui longiori indigent; Senes quibus multum conducit ſomnus de die per intervalla captus; Robuſti corpore, quibus brevior ſufficit; Mulieres, quas ipſe amor ad proles, aut ipſa ſolicitudo domeſtica magnum in modum reficit, quæve, quia minus, quam viri,

tran-

transpirando perdunt de ſuo corpore, minori ſomno ſatis inſtaurantur.

861. Cauſam coctionum eſſe ſolum organiſmum, quin nimirum ſit opus ad Archæi aut alius naturæ auxilium confugere, evictum jam eſſe reor. Profecto, ſi coctiones & nutritio peraguntur in vegetabilibus per unicam earum ſtructuram, hanc in nobis pariter ſolius organiſmi viribus abſolvi, credere fas eſt.

862. Ex hucusque dictis ſequitur, 1*mo.* ſi tanta & talia aſſumamus, quanta & qualia organiſmus rite concoquit, corpus in debito ſuo permanere ſtatu; 2*do.* ſi plura ingeramus, quam de corpore pereat, eaque bene percoquantur, neceſſe eſſe, naſci plethoram; 3*tio.* Si tenacia vel plura, quam organiſmus valeat ſubigere, oriri cacochymiam; 4*to.* demum, ſi pauciora, quam deterantur de corpore, non poſſe iſtud non emaciari.

863. Quid natura conferat ad coctiones? facile colligitur ex hactenus recenſitis: Ad chylificationem id: erigit nempe inſtinctum comedendi, ſatietatis, nauſeæ, & rerum aliarum. Si vero ventriculus ſit cibis nimium oneratus, relegat plures in eum humores digerentes, & ſimilia.

864. Sanguificationi opitulatur per excitatum deſiderium movendi corpus, ac contrahendi muſculos, queis itus augetur fluidorum in vaſis: ſic compellit infantem bene paſtum ad membrorum ſuorum actionem, veluti aves ad cantandum, & elephantem ad continuam ſui corporis motionem.

865 Ad ultimi liquoris confectionem contribuit id, quod corpori ſomnolentiam conciliet, & organiſmum, in hoc ſuo munere occupatum, tamdiu conſervet, quoad cuncta deſtructa & amiſſa fuerint denuo reſtituta.

866. Animus promovebit coctiones, ſi earum curam habuerit, omniaque iſtas perturbantia ſolerter caverit, & quæ utilia fore cognoſcit, in uſum accerſiverit.

867. Heterogenea coctiones adjuvant illa, quæ digerenda reſolvunt, torporem ventriculi levant, vires ejus audaugent, fluidorum motum in debitam deducunt moderationem, in hacve conſervant &c.

 868. Quid

868. Quid natura ceteræque potentiæ possint, efficiantque in coctione morborum, qua liquores crudi concoquuntur, & in humorem blandum permutantur, e corpore eliminandum, clarum est e supra dictis.

869. Ex his plana emanat ratio, cur causa ablati appetitus in cibos non sit semper in ventriculo? cur aromata, spirituosa, amara, & similia stomachica tam parum sæpe medeantur languenti digestioni, ut eam insuper etiam evertant penitus? Cur potus frigidus obsit tempore digestionis? Cur modo frigidus modo calidus haustus coctiones accelleret? & sic porro.



CA-

CAPUT TERTIUM.
DE SECRETIONIBUS ET EXCRETIONIBUS.



CA-



CAPUT TERTIUM.

DE SECRETIONIBUS ET EXCRETIONIBUS.

870. Si Secretiones & excretiones recte procedant, conservant organismum in pleno suo sanitatis statu: At si retardetur multum aliqua earum, turbatur iste, gravaturque materie noxia, diversorum morborum auctore.

871. Operis proinde ratio exigit, ut de eis quoque aliquantum differamus, qui methodum hanc nostram in ipsas semper morborum causas directam esse volumus. Contemplabimur itaque effectus istos non solum, ut, effectus organismi; sed etiam, ut causas morborum. Agemus itaque prius brevissime de secretionibus; postremo de excretionibus.

872. Quandoquidem secretio est secessio liquoris unius ab altero, tot specierum contingunt in corpore nostro secretiones, quot sunt series vasorum descendentium, quotve humorum varietates.

873. Qualis est fluidorum motus celeritas, tales sunt pariter secretiones. Hinc si motus sit major, copiosiores sunt quoque secretiones. Igitur, qui istas promotas cupit, humorum adaugeat circuitum.

874. Est autem ad omnes simul totius corporis augendas secretiones motus fluidorum in eum tantummodo gradum evehendus, qui non multo superat pacatum organismi. Nam pluribus gradibus excedens eum celeritas, velut in febribus evenit, aut in vehementi corporis exercitio, vel in calidis animi affectionibus &c, etsi quampiam promoveat, inhibet tamen ceteras. Siquidem humores tunc pene omnes versus aliquas solum determinantur corporis partes.

875. Ta-

875. Tametsi vero a copiosiori liquidorum affluxu in partem corporis copiosior in ea contingat secretio; accidit nihilosecius interdum, ut ipsa hæc major fluidorum copia, in corporis partem descendens, secretiones in ista inhibeat potius; quam augeat. Si renum alteruter inflammetur, cessat sæpe secretio lotii in altero quoque, quia nimius affluxus humorum ad renem inflammatum efficit, ut alter æque nimiis humoribus obruatur, & obstruatur.

876. Inde est, quod medicamenta, quæ humores in aliquam corporis partem determinant, plus quandoque noceant; quam prosint, magisque sæpe impediant secretiones; quam adjuvent. Inde est, quod tanto minus diuretica lotium, emmenagoga fluxum menstruum, kermes minerale sputa &c. promoveat interdum; quanto majori copia fuerint ægris propinata, ideoque venæsectiones, refrigerantia, sive dictis contraria diureticorum, emmenagogorum &c vices obeant.

877. Organismo debite conformato, & simul rite constituto peraguntur quælibet secretiones in eo universo. Quocirca non est is idem in hoc suo statu causa ullius secretionis adauctæ vel imminutæ.

878. Verum si pars ejus aliqua sit aut male formata, aut per frequentiorem usum vel morbum debilior ceteris effecta, organismus humores in istam copiosiores defert, & propterea secretiones in ea ipsemet vel auget, vel inhibet. Recrudescit eapropter facile tumor hemorrhoidum, faucium &c, si harum vasa fuerant quondam per morbum valde relaxata.

879. Non minus est consuetudo auctarum vel retardatarum secretionum frequens causa. Sic in eis, qui fumo nicotianæ sunt assueti, copiosa contingit perennis fere salivæ secretio; e contrario autem in iis, quibus ejusdem herbæ pulvis usui est crebriori, nulla fit muci in naribus secretio, nisi hoc pulvere eliciatur.

880. Natura juvat secretiones, quando compellit humores in quasdam corporis partes e. g. inter meditandum ad caput; post nimia ingesta in ventriculum; aut in partem, quam acre rodit, vel obstruens inflammat &c.

880. Se-

881. Secretiones, quas animus copiosiores aut justo pauciores efficere valet, satis constat ex animi effectionibus, motibus ejus muscularibus, ceterisve hujus potentiæ viribus in organismum.

882. Heterogenea, quæ secretiones diversas singilatim aut plures simul adaugent reprimunt, vel penitus intercipiunt, abunde exponit Therapia, satisque manifestant eorundem effectus.

883. Excretiones dein non sunt aliud, quam secretorum fluidorum, ad vasa excretoria delatorum, ejectiones. Ea igitur, quæ secretiones, promovent etiam, retardant, & sistunt excretiones.

884. Excretionibus adnumerant multi illas quoque liquidorum expulsiones, quæ fiunt absque secretione, ut si e quapiam rupta arteriola prosiliat sanguis &c.

885. Quantumvis autem diversas admittant Authores excretiones, nolunt attamen ulli liquori excreto dandum esse nomen materiæ excrementitiæ, quam tantummodo fæcibus alvinis, lotio, & materiæ, ut aimus, perspirabili.

886. Ratio, cur his solummodo concedendum velint vocabulum materiæ excrementitiæ? est, quia sunt res e tribus, ut inquiunt, coctionibus rejectæ, adeoque inutiles & noxiæ, si retineantur in corpore.

887. Inter triplicem autem hanc materiem, dicunt, transpirabile esse omnium acerrimam, ac tantæ acrimoniæ, ut, si ad evaporandum destinata repellatur in circulum, morbos generet acutissimos. Fridericus Hoffmannus, cui plures assentiunt, ait Tom. Tert. Sect. prim. cap. oct. §. vi. Syst. Med. *Sordes, quæ sub perspiratione exhalant, valde tenuis & activæ sunt indolis. Hæ enim, in corporis penetralibus retentæ, haud secus, ac mortiferum venenum, partes exquisite sentientes attrocissime adoriuntur, atque exagitant, ut vehementissimæ, immo Lethales in nervosarum potissime partium genere observentur affectiones*, & similia passim.

888. Argumentorum, queis Medici transpirabile acerrimæ indolis esse demonstrare satagunt, alterum est ex indefessi Santorii observationibus ad stateram factis depromptum adnotantis, quemlibet hominum,

qui

qui per dies aliquot continuos gravior deprehendebatur, non ideoque ſatis perſpiraverat, brevi poſt tempore, niſi retentum in corpore per alvum aut vias urinarias diſceſſerat, in morbum fuiſſe lapſum: e converſo autem omnes, qui leviores notabantur ſive rite perſpirantes, perſtitiſſe ſanos.

889. Secundum nititur authoritate præcipuorum, ſiquidem communi pene medicorum ſententia proveniunt morbi catarhoſi, inflammatorii, aliæque febres continuæ, diarrheæ, capitis, faucium, artuum &c dolores lancinantens, & quicunque generantur, vel exacerbantur corporis refrigeratione a repulſo, ut loquuntur, transpirabili.

890. Stante hoc effato naſcitur in his morbis indicatio, revocare & expellere repercuſſum frigore tranſpirabile; Ea itaque remedia, & regimen eſſet adhibendum, quo perſpirationem promoveri docet Ars medica.

891. Eidem huic ſententiæ videtur ſuperſtructa eſſe methodus ſudorifera in morbis artriticis, a refrigeratione natis, inque capitis, dentium aliarumve corporis partium defluxionibus, quas rheumaticas communiter appellamus, a medicis in vulgus uſque derivata.

892. Si effectus reſponderent in his morbis medendi normæ, magnum certe adderent pondus lato ſupertranspirabilis indole judicio. Verum adeo minus proſperum habebat ſæpius hæc methodus eventum, ut non pauci medici a dicta ſententia deflexerint, morbosque qui a refrigeratione ducunt originem, non amplius in repulſum transpirabile, ſed in bilem, in ſanguinem abſorptam, referant, eosve idcirco non ſudoriferis, ſed purgantibus curandos aſſerant.

893. Viguit hæc inter ejus fautores opinio ac medendi norma, uſquedum horum quoque multi animadvertiſſent, recenſitos morbos non felicius exſtirpari per purgantia, quam per ſudorifera. Ex eo factum eſt, ut medici in varias ſubinde abiverint ſectas, variasque aſſumpſerint methodos. Artritis nobis ſit pro exemplo: Hanc aliqui diaphoreſi; alii iteratis purgantibus; qui-

quidam diluentibus & inviscantibus; non pauci antiphlogisticis solventibus; & denique aliqui specificis tractandam esse perhibent.

894. Sicut in morbis articulorum; ita quoque in acutis ab eadem causa, a refrigeratione videlicet inductis, varietatem peperit curandi opinio diversa, de transpirabilis materiæ genio suscepta. Quoniam in his pariter morbis quidam medici absorbentibus, quæ diaphoretica nominant, medicaminibus perspirationem revocare; Alii cura antiphlogistica lardaceam sanguinis spissitudinem attenuare; & demum aliqui fortissimis fossilium acidis, ipsove cortice peruviano putredinem humorum, a putridissima, ut ajunt, repulsa transpirabili materia genitam, compescere adnituntur.

895, Haud itaque operam nos nostram perdituros spero, si id, quod tanspiramus, acute fuerimus intuiti, atque studiose examinaverimus, utrum reipsa acerrimæ ac putridissimæ, qualem medici esse reputant, sit indolis? Adeoque utrum morbos, qui cum gravitate sumunt initium, a retenta? & qui a refrigeratione tum acuti, tum chronici ortum ducunt, a repulsa materia transpirabili repetere, proindeque methodo diaphoretica tractare conveniat?

896. Catarrhosi, tussientes, & quicunque habent propter penuriam obtegentis muci, denudatam ac inflammatam pulmonis superficiem, compelluntur vehementius ad tussiendum ab aere puro, quam ab aere effluviis humanis referto.

897. Aer dein purus infert nudo vulneri dolorem, ad id admissus; sedat autem eum aer, transpirabili copioso permixtus. Sic pars corporis vulnerata nuda dolet, si lecto erecta sit; cessat vero dolor iterum in tepore lecti. inde est, aerem apertum esse noxium vulneri, ideoque id tectum semper esse debere, vulgaris fert sententia.

898 Hæc & similia evidenter demonstrant, perspirabile humanum non esse tantummodo non acre irritans; sed insuper ipsi aeri, quem purum dicimus, acri fortassis ac rodente materia scatenti, demere vim irritantem.

899. Si fluidum, quod perspiramus, foret acre, analogia, quam habet organismus humanus cum organismo

qua-

quadrupedum, jubet credere, horum æque animalium transpirabile [illegible]e acerrimum. at ſi ad obſervationes convertimus [illegible]ium, deprehendimus, perſpirabile pecorum eſſe t[illegible] minus acre, tantove minus exaſperare vulnera, u[illegible] p[illegible]ius ulcera pulmonum plene ſæpius conſolidaverint phtyſicorum, qui dies noctesque plures continuas tranſigebant in ſimili atmoſphera, in ſtabulis utpote vaccinis. Profecto, ſi effluvia pecudum forent acria, & cumprimis, veluti quidam de effluviis hominum diſſerunt, putridiſſima, augerent maximum in modum febrim phtyſicorum & ſupurationem.

900. Igitur tranſpirabile humani corporis non eſt ullius acrimoniæ inſimilandum, minus ergo putridiſſimæ. Hoc poſito, non eſt ſive, ut loquntur, retentum, ſive frigore repulſum cauſa morborum putridiſſimorum. nonque unquam cauſa inflammationis: catarrhi, artritidis, & ſimilium corporis affectionum.

901. Interpellabunt, ſcio, me non pauci adducentes ad commonſtrandam perſpirabilis humani acrimoniam tum argumenta non levia, cum ipſam experientiam. Verum, antequam iſta audiamus, aſſumamusque diluenda, expendamus prius ratiocinia, ex quibus contrarii probabilitas exiſtere videtur. Diſquiramus; inquam, prius, quid de indole perſpirabilis exiſtimare liceat?

902. Quanto quis majorem exerit corporis motum, tanto perſpirat magis, tantove plus delaſſatur, pluresidcirco amittit vires corporis. Id ergo, quod evolat e corpore per cutis ſpiramina, ſunt ipſæ vires corporis, eſt id, quod ſpiritus nerveos appellamus

903. *Jam ab omni ævo*, ſunt verba Illuſtr. L. B. van - Swieten in comm. §. 28. *corpora interitura præ debilitate conati fuerunt medici refocillare, dum ſubtiliſſima illa exhalantia de valido juvenili corpore inſinuabant debiliſſimis corporibus, ſub iisdem ſtragulis decumbentibus. Sic Davidis effætum ſenectute corpus fovebatur ſaniſſimæ puellæ in eodem lectulo decubitu.* Optimus eſt igitur, & minime acer, liquor, quem perſpiramus, eſt ſcilicet ipſe humor ultimus ſive nervorum.

904. Haud inepte assimilatur transpirabile animalium effluviis vegetabilium. Quis est autem, qui negabit, effluvia plantarum esse liquorem omnium optimum & perfectissimum, quem ipso nomine spiritus rectoris plantæ, talem exhelantis, insignimus? sic lilium, sic rosa, sic mellissa, sic cetera quoque aroma spirantia vegetabilia gratissimum, & hominem refocillans exhalant. Sunt ego exhalationes corporis quoque humani liquor ceteris perfectior, liquor utpote nerveus.

905. Quævis planta odorata reddit se nobis notam & a reliquis distinctam per sua illico, quæ spirat, effluvia, sive per suum rectorem spiritum. Rector itaque spiritus corporis æque humani videtur esse id, quo canis domesticus discernit herum suum ab omnibus ceteris hominibus, & reperit, velut supra meminimus, in turba perditum.

906. Compertum est præterea, mulierem vigilias facilius perferre; quam virum, fierique citius; quam istum, plethoricam. Ratio istius merito derivanda est abinde, quod mulier minus transpiret; quam vir, adeoque pauciorem faciat eodem temporis spatio jacturam suarum virium; quam vir.

907. Cl. Reamur (*memoir pour l' histoire des insect. Tom.* 11. *pag.* 48. *&c.*) expertus ait, imminuendo transpirationem insectorum, eorum vitam diutius conservari posse. unde existimat, non vanam formari spem, posse vitam pariter humanam produci, si idem tentaretur in hominibus. Id certum est, quod robusti corpore minus transpirent, quam debiles; quodve ii, quorum corporis compages firmior est, melius valeant hibernis temporibus. Intueamur nunc objectionum pondus ac vires.

908. Primum Adversariorum argumentum sit istud: Vere putrida sunt excrementa alvina, vere item acris est urina: utrunque ideo, quia sunt materia excrementitia, ut dicimus: Hinc conficiendum est, tertiæ quoque coctionis materiem excrementitiam, qualem hæc pariter coctio habere debet, esse acrem.

909. Alterum sit hocce: Quinque octavas assumptorum partes exhalando amittimus sani in dies singulos.
quis

Quis credat autem, tantam nos quotidie perdere liquoris nervorum copiam? Censendum proinde est, inutile potius, quod viribus organismi nequibat mutari in liquores inquilinos, neque per alvum aut per renes expulsum est, ejici per vasa cutanea.

910. Tertium porro id: Aerem, qui vaporibus corporum humanorum refertus est, tam noxium esse scimus, ut non adaugeat solum spirandi, ea laborantium, dificultatem, febresque continuas &c sed inducat insuper etiam morbos pessimos, ipsamque febrim putridam. Propter eadem hæc etiam animantium effluvia asserimus perniciosum esse aerem urbanum. Infringunt dein ista quoque aeris, ut norimus, elasticitatem; acria ergo sunt ea reputanda.

911. Quartum deinde: Per iterata multoties experimenta indubitatum effecit Santorius, homines, quorum transpiratio non rite procedit per dies aliquot, morbo mox correptum iri, veluti paullo antea §. 889. diximus. Noxium est id ergo, quod perspiramus.

912. Quintum: Morbi a refrigeratione subitanea, a repulso videlicet transpirabili geniti manifeste demonstrant, causam eorum esse acre rodens ac inflammans membranas partium, ad quas defertur, corporis.

913. Sextum: Morbi contagiosi omnes, quorum numerus est maximus, propagantur per sola maligna ægrorum effluvia. Pessimos itaque ejicit natura per cutis arteriolas corporis humores

914. Septimum sit hoc: Amplissima experientia evictum est, morbos catarrhosos, dentium, articulorum &c dolores, ceterosque, qui a represså frigore perspiratione ortum sumunt, optime curari per infusa calida, & cuncta illa, quæ diaphoresin promovent, seu quæ transpirationem reducunt.

915. Octavum denique sit istud: Omnium pene consensu propterea morbi hiemales pertinacissimi dissolvuntur sua sponte tempore veris, quod his anni mensibus optime procedat transpiratio. Materies dein erysipelatosa, podagrica &c transpiratione est exterminanda. Ipsum præterea, scimus, crudum morborum acutorum

ejici ſæpe per ſpiramina cutis. Cuncta iſta plane declarant, humorum acre, quod admodum ſubtile eſt, ideoque neque per alvum, neque per urinæ vias evehitur, expelli per cutis ſpiramina.

916. Ad argumentum primum reſpondeo, urinarias ſolum eſſe vias, per quas omne acre ſanguini admixtum expelli videtur: ipſa tenuiſſima aſparagi, fœniculi &c effluvia efferuntur iterum hac via. Morbi proinde, quos acrimonia excitat irritans, ab hac retenta, quia in renibus non eſt ſecreta, & non ideo, quia per cutis emunctoria non exiit, ſuam habent originem. Etſi dein conceſſerimus, deteri aliquid de humoribus inquilinis, dum hi in liquorem ultimum convertuntur, quis exiſtimet autem, id eſſe acre?

917. Ad Secundum dico, non omne, quod corpus humanum exhalat, eſſe liquorem nerveum, ſed copiam ſimul aquæ non modicam, quæ maximam ingeſtorum partem efficit, quocirca facile etiam quotidiani perſpirabilis copiam poterit adæquare, quinque ſcilicet octavas aſſumptorum partes.

918. Ad Tertium: Si in memoriam revocamus, quæ de aeris frigore, ad ſanguificationem neceſſario, attulimus, perſpicimus, humores corporis non degenerare in nominato aere propter effluvia humana ei admixta; ſed potius propter abſentiam materiæ frigoris, ex hoc aere per exhalationes humanas, in eo contentas, ejectæ.

919. Non eſt deinde ſolum propter exſpirationes animatorum exitioſus aer urbanus, ſed magis propter exhalationes rerum putridarum, foſſilium, carbonum ardentium, & ſimilium rerum vere acrium.

920. Quantum ad aeris elaſticitatem: dico: tametſi ſuam iſte perdat in effluviis animalium elaſticitatem, non ſunt ea idcirco acrimoniæ inſimulanda. Nam ſi tranſpirabile foret putridum, quale id medici eſſe aſſerunt, augeret potius aeris elaſticitatem, veluti eam increſcere videmus in corporibus putreſcentibus.

921. Ad Quartum: Quemadmodum haud quaquam negare poſſum obſervationes Santorii ceterorumve Phyſicorum ad ſtateram factas; ita nunquam induci, ut-

ut opiner, retentam in corpore transpirationis materiam esse auctorem insequentium morbosarum affectionum. Quoniam morbi, qui nascuntur, dum perspiratio non rite procedit, sunt genio diversi prorsus ab illis, quos refrigeratio, sive repulsa, ut ajunt, transpiratio inducit, quam ob rem debent etiam aliam habere causam effectricem.

922. Si porro animum advertimus ad id, quod transpiratio nunquam emaneat sua sponte, adeoque causa semper antea existere debeat in corpore, cibi v. g. non satis attenuati, frigida animi pathemata &c, quæ eam retinet; censendum est, causam istam evadere postea effectricem sequentis mali. Videtur hoc autem tanto esse verisimilius; quanto dispares magis sunt affectiones, quæ post retentam perspirationem in scenam prodeunt.

923. Existimo dein etiam, morbos hujusmodi debere illico rursum exstirpari per diaphoretica, vel saltem multum imminui, si proficiscerentur a retenta transpirationis materia. Palam est autem, adeo parum hac ratione morbos istos subigi, ut vix unus amplius cogitet in eis medicus de procuranda transpiratione, sed diversa, pro varia nempe morbi conditione, præscribit quilibet remedia.

924. Ad Quintum: Morbi catarrhales, inflammatorii, ac similes rheumatici sunt eo vehementiores, si cætera sint paria, quo ægrotus plus calebat ante admissum frigus, id est, quo majorem expullit antea transpirabilis copiam: Quis est autem, qui non fateatur, debere evenire recte oppositum, si causa horum morborum esset ipsa perspirationis materia? Siquidem expulsa jam prius morbi causa, hic mitior esse deberet.

925. Si demum commemorati nunc morbi generarentur a dicta hac materia, generarentur utique in aere ista repleto. Eam enim inspiramus cum aere, eamque, subtilissimam utpote, absorberent vasa bibula cutis. Verum quis est, qui observavisset unquam natum in ejusmodi aere morbum rheumaticum? Quin immo adeo minus inducit dictus aer catarhum ac similia, ut potius generis istius morbos resolvat, & subigat.

 926. Quæ-

926. Quæret, nullis dubito, ex me aliquis causam malorum, per subitaneam refrigerationem excitatorum, cujus nimirum sit ingenii, & unde profecta vehemens illa acrimonia, quæ atrocia & sæpius funesta concitat symptomata? Huic reponam, me existimare, eam esse id, quod materiam frigoris appellamus, humores condensantem, & constrictis simul arteriolis ipsos in harum finibus sistentem. Si proinde materia frigoris fuerit cum lympha sanguinis conjuncta, producit, judico, catarrhum &c, seu hujus vasorum series inflammationes. At si ipsos prehendat globulos sanguinis rubros, eorumve plures cogat in unum, excitat morbos vere inflammatorios, aut ardentes. Quanto dein plus enervatum & a liquoribus tenuiorius per prægressam exercitationem spoliatum est ante refrigerationem corpus humanum; tanto major admiscetur humoribus materiæ frigoris copia, istique tanto magis condensantur.

927. In asserti hujus confirmationem adfero sanguinem, in similibus morbis e vena missum. Est enim iste semper summe lardaceus, non autem dissolutus, qualis est ægrorum in morbis vere putridis. Si dein pulsum arteriarum contemplamur, deprehendimus eum, qui est in febri putrida, admodum debilis, esse in rheumaticis affectionibus fortem & durum. Materies igitur, quæ morbos inducit rheumaticos ac hujus genii acutos, est non solum non putrida, sed ei indole prorsus opposita.

928. Exinde cuivis decernendum committo, utrum morbi acuti, a repentina refrigeratione nati, possint inter maxime putridos jure recenseri, sintque proptera cortice peruviano & similibus antisepticis tractandi?

929. Ad Sextum: Acre ac virulentum transpirare ægros, quorum humores eo scatent subtili, nemo deducet in controversiam. Verum non est hic sermo de perspirabili corporis ægroti, sed sani, quemadmodum medici, dum de bonitate sanguinis menstrui differunt, intelligunt eum mulieris sanæ, & non ægrotantis, cujus cruorem malæ indolis esse, nullus inficiatur.

930. Ad Septimum: Haud unquam reprobabo remedia & regimen diaphoreticum in morbis cartarhosis:

At

At vero, num diaphoresis sufficiat semper exstirpando hujusmodi morbo, & non sæpius demulcentia quoque, inviscantia, nitrosa, sanguinis detractiones, & similia sint necessaria? practicum judicem appello. Id certum est, & uberrima evictum experientia, stimulantia sudorifera esse in acutis, ex hoc fonte emanantibus, a refrigeratione, inquam, inductis, semper noxia.

931. Ad ultimum tandem respondeo me opinari, non ob unicam adauctam perspirationem corporis tempore veris resolvi morbificum, quod stagnaverat quasi totam hiemem in visceribus ægrotantium; sed magis propter meliores tempore vernali coctiones organismi, imprimis autem sanguificationem, cum transpiratio hiemis æque temporibus multum possit promoveri, Existimo proinde, cœlum vernale idcirco tam esse salubre, quia materia frigoris per radios solares in eam temperantiam est reducta, in qua singulare & solventissimum evadit medicamen, in sanguinem medio aeris inspirati delatum; tum etiam ideo, quia telluris & vegetabilium exhalationes, corpori humano amicissimæ, nervos nostros grate afficiunt, & quasi instaurant, quibus is conciliatur humoribus motus, per quem coctiones, secretiones, & excretiones optime peraguntur. Responsio ad alteram objectionis partem clara est ex jam dictis; non videlicet indolem transpirabilis corporis ægroti esse in quæstione, sed sani.

932. En quantum intersit egisse de indole materiæ transpirabilis: En quantum referat definivisse, an hæc sit pessimæ, aut contra optimæ conditionis, adeoque utrum morbi, qui cum lassitudine sumunt exordium, sint a retenta; & quos subitanea excitavit refrigeratio, a repulsa transpiratione geniti?

933. Relatis iis, quæ de materia perspirabili commemoranda judicavimus, disquiramus jam, quid valeant Potentiæ in augendis, & reprimendis excretionibus; quidve efficiant?

934. Excretiones moderatæ sive eæ, quas usitato medicorum vocabubo naturales appellamus, sunt effectus organismi. Hinc si istis fuerint majores vel mino-

res, non sunt amplius organismi, sed alius potentiæ, veluti jam alias exposuimus.

935. Excipiendas diximus pariter alibi ex hac esse regula, quamvis fuerint moderatæ, excretiones, quæ fiunt opera alterius cujuspiam potentiæ in vitiato organismo. Sic qui assuetus est potu quotidiano caffe, non habet alvum apertam, nisi per hunc potum reseratam. Potus igitur fabarum istarum est causa excretionis hujus, & non organismus.

936. Contrarium obtinet in adauctis per consuetudinem excretionibus. Nam is, qui per frequentes liquoris spermatici v. g. ejectiones admodum relaxaverat vasa liquorem istum coercentia, solo agente organismo frequentes spontaneas patitur istius profusiones.

937. Mirus omnino est consuetudinis effectus in organismo ratione excretionum. Quoniam dum iste ab heterogeneo crebrius compellitur ad excernendum, fit tanto segnior ad idem hoc munus, quanto sæpius ad id concitatur: e converso autem si moveatur ab anima ad excernendum, fit ad id promptior, atque antea fuerat. Sic quanto quis frequentius assumit purgans, tanto tardiorem habet alvum; At si hanc torpentem studio quotidie, absque adhibito stimulo, exoneraverit, non multo post tempore experietur eam in dies singulos facilem.

938. Excretiones, quas animus adaugere potest, vel refrænare, facile intelliguntur ex animæ effectibus, suo loco recensitis, dispicit eas quoque omnis, qui in memoriam reducit vires, quoad excretiones, actionum musculorum voluntariorum, animi pathematum, & denique cogitationum ac studiorum acutorum.


939. Illæ porro excretiones auctæ, imminutæ, vel retentæ sunt ab heterogeneis, quas ab eorum viribus, e Therapia & observatione notis, derivare possumus. Sic mictum cruentum, applicatis copiosis vesicantibus, nisi alia manifesta adsit ejus causa, jure adscribimus.

940. Naturæ demum in acceptis referendas esse excretiones, queis corpus liberatur a materia cruda & noxia, supra jam comprobavimus. Tales sunt hemor-

941. Ex

rhagiæ, diarrheæ, ſudores &c. critici, aliæque ejectiones inutilum.

941. Ex hucuſque recenſitis patet ratio, cur cibi tenaces, qui transpirabile retinent in corpore, non inducant catarhoſas humorum defluxiones? Cur morbis iſtis pulchre opitulentur oleoſa, vitellus ovorum & ſimilia, quæ tamen in morbis putridis ſumme pernitioſa eſſe ſcimus, & e converſo cur noceat vinum, quamvis transpirationem egregie promoveat? & ſic de aliis.



CAPUT QUARTUM.
DE
SOMNO ET VIGILIIS.

942 Somnus est is organismi status, in quo iste plenis operatur viribus.

943 Est sæpe malorum reus.

944 Somnus & vigiliæ se mutuo excipiunt.

945 In illo suis defungitur animus actionibus;

946 in istis vero vacat is ab omni actione.

947 Somnus & vigiliæ mutant conditionem organismi.

948 Cordis enim constrictio est, dum vigilamus; multum repressa,

949 respiratio pariter minor,

950 similiter secretiones & excretiones,

951 atque calor cum coctionibus;

952 Ultimi autem liquoris elaboratio est prorsus cohibita.

953 Existimant aliqui, spiritus vitales posse cardiacis instaurantibus restitui,

954 quod tamen haud videtur,

955 siquidem ista superstites solum excitant.

956 Hinc inepte datur vinum ad reddendas in acutis vires amissas.

957 Vigiliæ consumunt organismum.

958 Unde clarescit prognosis in morbis, qui sunt cum vigiliis conjuncti,

959 patetque, quam utilia sint sæpe paregorica.

960 In somno est actio cordis & respirationis præpotens,

961 in qua conspicimus periculum in morbis.

962 Si excretio quædam sit major in somno, signum est conturbati organismi.

963 Humores in somno multum perficiuntur,

964 universumque reficitur corpus.

965 Ad hoc proinde nutriendum necessarius est somnus.

966 Malum est igitur, si so..-

C A-

CAPUT QUARTUM.

DE

SOMNO ET VIGILIIS.

942 Somnus eſt, veluti ſupra diximus, is organiſmi ſtatus, in quo ſopitis omnibus ſenſibus externis internisque organiſmus plenis ſuis operatur viribus: Vigiliæ autem ea organiſmi conditio, in qua is rite quidem, aſt non plene, cum per actiones animæ reprimatur, agere poteſt.

943. Conſtat ex jam recenſitis, corpus abſumi per vigilias, & refici denuo per ſomnum. Hinc liquet, tum ſomnum, tum quoque vigilias, eſſe corpori utilitati maximæ, ſi debite; & viciſſim diverſorum morborum cauſæ, ſi inepte fuerint admiſſa. Quare ad rem erit, iſta non minus perfunctiore, quam reliquas morborum pertractare cauſas.

944. Curſus vitæ humanæ eſt ita ordinatus, ut poſt transactas horas continuas circiter octodecim opprimamur ſomno, quo reliquas diei integræ abſumimus. His porro elapſis evigilamus iterum.

945. Quamdiu vigilamus, operatur anima conſtanter ſive ſolum cogitando, ſive etiam ſuos movendo muſculos: illico autem, atque obdormimus, ſopiti ſunt ſenſus interni externique, omnis proinde ceſſat actio animæ.

946. Tempus itaque vigiliarum eſt id diei ſpatium, quod animæ ad agendum eſt datum: ſomnus vero id temporis intevallum, quod animæ ſubtractum eſt, & ad reparationem perditorum de corpore deſtinatum.

947. Organiſmi conditio inter vigilias & ſomnum, quantumvis iſte diu noctuque abſque intermiſſione ſuas peragat actiones, eſt nihiloſecius tanta. ut dici debeat maxima, ideoque animadverſu digniſſima.

948. Re-

948. Contractio cordis eſt tempore vigiliarum nunc
nis, nunc vero fortis, modo cita, jam tarda, non
unquam etiam inæqualis, aut intermittens, prout vi-
elicet ab anima, a natura, vel ab heterogeneis exa-
itatur, reprimitur, vel conturbatur.

949. Reſpiratio autem eodem hoc tempore jam eſt
nodica, jam profunda, nunc facilis, modo anxia,
unc velox, modo vero tarda, pro ratione ſcilicet vi-
ium potentiarum in eam agentium.

950. Actioni cordis reſpondet motus fluidorum;
uic vero ſecretiones & excretiones. Qualis igitur eſt
ctio cordis, tales ſunt etiam effectus iſtius. Hinc quam-
iu vigilamus, ſunt ſecretiones quoque cum excretio-
ibus modo copioſiores, modo parciores, aut penitus
ihibitæ.

951. Verum ſi motus humorum & ſecretiones va-
iant cum excretionibus tempore vigiliarum, ſequitur,
alorem pariter & coctiones eſſe adeo varias, ut aliquan-
o debite procedant, non raro autem perturbentur.

952, Chylificationem & ſanguificationem fieri qui-
em, dum vigilamus, ſed non plenas ſive neque tan-
is, quantæ forent neceſſariæ ad conſervandam omnem
umorum copiam; ultimi vero liquoris elaboratio-
em, quamdiu vigiles ſumus, haudquaquam peragi,
emonſtravimus capite de coctionibus.

953. Dicet aliquis, non dubito, cardiacorum claſ-
em, quam reficientium nominamus, eam eſſe, cujus
emedia perditas momento citius inſtaurant corporis
ires. Ita vinum eo ipſo, quo deglutitur, temporis
uncto reddit debilibus vires. Ex quo cenſendum eſſe,
uunt, generis iſtius cardiaca ipſas ſine prævia coctio-
e ac immutatione reſtituere vires corporis ſive ſpiri-
us nervorum.

954. Reficitur quidem ex tempore, reſpondeo, vi-
o & ſimilibus delaſſatum corpus humanum; verum
on videntur ipſæ vires, ipſe deperditus nervorum li-
uor per ea reſtitui. Nam 1*mo.* liquor iſte eſt alius
onge indolis, quam ſit vini ceterorumve reficientium
enius. 2*do.* Velocior eſt multo refectio ab aſſumptis,
uam cardiaca ad cerebrum, atque abinde in totius

cor-

corporis nervos deferri queant. Compertum est denique 3tio. liquorem nerveum seu vires corporis non alia ratione, præterquam somno, posse recuperari.

955. Subita ista corporis refectio videtur in hoc esse posita, quod per dicta excitantia superstites solum in corpore spiritus in motum majorem compellantur, idve medio nervorum, quos ista exagitant, a cerebro ad ventriculum deductorum, quemadmodum summe instauratur pauxillo pulveris nicotianæ in nares attracto is, qui eo assuetus est, & ob ejus penuriam languet, & tristatur.

956. Inde palam est, quam perperam agat vulgus, dum ægrotos, morbis acutis languentes, vinosis reficere contendit: item quam sit erronea illorum opinio, qui a morbo reluctantes, & adhuc multum infirmos, plus vino, quam cibis facile digerendis reficere adnituntur.

957. His in considerationem accersitis clarum est, vigilias adeo adversari organismo, ut ipsum constanter terant, quin etiam ei concedant se reparandi otium. Perderent itaque istæ corpus pauco dierum intervallo, si plurium horarum somno non interumperentur.

958. Hinc patet, ambiguam semper esse prognosin in quibusvis corporis affectionibus, morbumque omnem, etsi alia ejus symptomata forent mitia, esse cum maximo vitæ periculo conjunctum, qui est cum vigiliis continuis. Quod enim morbus non conterit, absumunt vigiliæ.

959. Elucet inde quoque, quantum præstet medicus dies noctesque vigilanti, si ei somnum pacatum conciliet, sine quo nulla coquendæ materiæ morbificæ, nullaque reparandarum virium spes est?

960. Si deinde organismum contemplemur tempore somni, deprehendimus cuncta esse prorsus alia, quam fuerint in vigiliis. Eo enim ipso momento, quo obdormimus, cor se contrahit fortissime, lente, & simul æqualiter, licet paullo antea actio ejus fuerit debilis & inordinata: Respiratio quoque fit eodem temporis puncto profundissima, rara, & simul æqualis.

961. Hinc

961. Hinc conjicimus, periculum in morbis esse tanto semper majus, quanto pulsus arteriarum est minor in somno, magisque inæqualis, atque respiratio velocior, plusque anxia, & inæqualis.

962. Quum humores æqualiter diffundantur in somno per corpus universum, omnes ideoque secretiones & excretiones rite contingant, quin unica excedat, est id nobis argumento, turbari organismum a causa quapiam, si excretio aliqua major fuerit notata, aut si copiosorum humorum fiat determinatio ad quampiam in corpore partem.

963. Si postea vires cordis & arteriarum totius corporis pulmonumque in somno æstimemus cum calore inde resultante sat valido, merito arguimus, coctiones tunc omnes optime perfici, humoresque multum elaborari.

964. Potentissimas has organismi; quam habet temporibus somni, vires aperte demonstrat dissimilitudo, quæ intercedit inter conditionem organismi ante somnum, & eam post somnum. Quantis enimcunque viribus ceterisque humoribus exantlatis committimus nos somno, resurgimus attamen semper plene refecti & humoribus denuo repleti,

965. Non est proinde somnus ad ultimi solum liquoris confectionem necessarius, sed ad restituendos etiam reliquos corporis liquores; immo ad id ipsum nutriendum quoque.

966. Cum autem tanta, quanta nunc exposuimus, sint a nobis medicis in quibusvis morbis a somno expectanda, evidens est, pauca omnino nobis sperare licere de valetudine infirmi, si somnus longior non levet, nonque instauret. Quoniam significat, vires organismi jam adeo esse exhaustas, ut vix amplius sufficiant coquendæ morbi materiæ.

967. Ex eo, quod ingruente somno minuatur vigor judicii & memoriæ, organaque sensuum externorum hebescant. atque simul corpus suam perdere agilitatem, colligimus, imminui tunc secretionem spirituum in cerebro. Exinde vero postea, quod actiones animæ sileant penitus in somno, sensusque omnes sint sopi-

ſopiti, conficimus, nullam fieri dicti liquoris nervei in eo ſecretionem, nullumve ejus influxum in nervos ſenſuum & muſculorum animalium.

968. Quidquid igitur hanc ſpirituum ſecretionem conſervat, retinet vigilias: ſtudia proinde, curæ, animi pathemata, auctus fluidorum motus, pedes frigidi, & quæcunque ſunt ejusmodi, arcent ſomnum.

969. Intueamur jam obdormientem: res ſane mira: Non omnes ad ſemel relaxantur corporis muſculi, dum ſomnus hominem prehendit, ſed contingit hæc relaxatio eum in modum, ut primo remittant muſculi elevatores palbebrarum oculorum, deinde maſſeteres, poſtea muſculi cervicis & brachiorum, ſubin lumborum, & tandem pedum. Incipit nempe hæc in actionibus conſtitutorum muſculorum remiſſio in vertice capitis, & deſcendit lento motu per corpus uſque in extrema pedum. Quemadmodum in eo, qui ſtans obdormit, clare cernitur.

970. Lenta iſta muſculorum relaxatio videtur indicare celeritatem fluxus ſpirituum in nervis muſculorum. Exiſtimare, inquam, licet, eo temporis ſpatio, quod intereſt inter relaxationem muſculorum oculi, & eam muſculorum ſuræ, perveniant ſpiritus, recenter in cerebro ſecreti, ad muſculos tibiæ accumbentes. Hoc eſt: tam lentus videtur eſſe progreſſus ſpirituum in nervis, qualis eſt expoſita muſculorum conſtrictionis remiſſio, a capitis vertice ad finem uſque pedum deſcendens.

971. Hæc præterea muſculorum relaxatio videtur probare, ſuccum nervorum, poſtquam ad organa ſenſuum vel muſculos pervenit, non reverti rurſum per nervos ad ſenſorium commune, veluti quidam opinantur, ſed potius ſanguini, organa & muſculos alluenti, admiſceri, cum eoque ad caput denuo, aut in ventriculum, aut in alias corporis partes deferri, vel e corpore expelli nomine transpirabilis.

972. Ex eo deinde, quod continuo, atque obdormimus, increſcat cordis & muſculorum reſpirationi ſervientium actio, opinari licet, ſpiritus, qui ingreſſu drohibentur in nervos animales, dum ſomno cedimus urgen-

urgenti, se adjungere liquori nerveo, qui in cerebello secernendus, & in nervos cordis & respirationi dicatos mittendus est, sive spiritus, qui, quamdiu vigilavimus, secernebantur in cerebro, secerni, dum dormimus, in cerebello.

973. Confirmari videtur hæc opinio per id, quod cordis ceterorumve musculorum spontaneorum actio sit tanto fortior, quanto somnus est altior, sive quanto magis sopiti & quasi occlusi sunt sensus interni & externi.

974. Stante hoc asserto ex unica majori minorique respiratione recte judicamus de magnitudine causæ morbificæ in morbis soporosis. Siquidem quo respiratio est in hoc morborum genere profundior, stertorque major, eo copiosiores videntur secerni spiritus in cerebello, qui secerni debuissent in cerebro, propter majorem medullæ cerebri partem, ut existimamus, obstructam.

975. Constituto eo, quod apoplexia ceterique morbi soporosi proveniant ab obstructione tubulorum medullæ cerebri, sequitur, omne, quidquid hos tubulos obstruere, vel extrinsecus comprimere potest, posse esse causam hujusmodi morbi. At si id omne: causa solius apoplexiæ est numero pene infinita.

976. Verum enim vero si apoplexia v. g. ortum suum a causis diversissimis deducere potest, minus certe probanda est generalis fere apoplexiam curandi norma, juxta quam repetitæ celebrantur sanguinis missiones, acria excitantia præscribuntur medicamina, paralyticæ perfricantur destillatis igne spiritibus partes, & fortissimis aduruntur vesicantibus &c. Hæc profecto remedia sunt talia, quæ neutiquam in uno eodemque morbo, multo minus in quavis apoplexia, locum habent. Cum deinde mali soporosorum morborum sedes sit encephalon, cui commodo sunt frictiones & vellicationes partium paralyticarum?

877. Quemadmodum unumquodque remedium efficax, quodvis item egregium alimentum, motus quoque corporis utilissimus &c, noxia sunt, si præter necessitudinem ac supra modum & mensuram vocentur in

R usum,

usum; sic quoque somnus hoc ipso, quia est remedium enervati corporis potentissimum, debet esse noxius, si rite non fuerit admissus.

978. Duplici ratione est, spectatis observationibus, perniciosus organismo somnus. Si nempe ultra plenam corporis refectionem protendatur, aut inconveniente tempore admittatur.

979. Cum somnus horarum septem corpus pristinis repleat humoribus, clarum est, si ultra hoc tempus, nisi ab admodum enervatis, protrahatur, organismum nimiis onerari fluidis. inde est, dum nimium dormivimus, gravitas totius corporis, obtusus dolor capitis, dispepsia & similia.

980. Hinc existimare licet, quid organismo accidere debeat, si somnus quotidie justo ac sufficienti longior fuerit: humores scilicet accumulari, vasa relaxari, nervos debilitari, sicque universum organismum pedetentim everti.

981. Somnus inconveniens perturbat digestionem & sanguificationem, veluti declarant ructus, capitis gravitas aut dolor, turgens abdomen aere rarefacto, spirandi dificultas & similia, quæ somnus v. g. pomeridianus inducit insuetis.

982. Refert jam discutere quæstiones, Quando sit capiendus somnus? In quot horarum intervallum producendus? utrum diurnus, cumprimis pomeridianus, sit noxius? & demum utrum melior reipsa sit somnus, qui noctis medium præcedit, quam qui id sequitur?

983. Ad omnes has quæstiones unica interim hæc (ne propositi limites excedamus,) sufficiat reponsio: Quilibet somnus tam diurnus, quam etiam nocturnus utilis est, quando tanta facta est liquorum, maxime vero nervei, jactura, quanta hominem imparem efficit actionibus suis rite ultra perficiendis. Est deinde in id temporis spatium protrahendus, quo defectus humorum resarcitur.

984. Etsi autem somnus sit semper proficuus, si corpus inopia virium laborat, nocet is tamen, si ventriculus sit alimentis recenter refertus, nisi consuetudo, quæ omnes elidit regulas, eum deposcat. Hæc

est

eſt etiam cauſa, quod ſomnus pomeridianus ſit quibusdam non tam utilis, quam neceſſarius.

985. Quæret forſitan aliquis, cur ſomnus, quo & chylificationem, & ſanguificationem egregie promoveri diximus antea, easdam aliquando evertat? & quando? item cur noceat, illico poſt opiparum prandium aut lautam cœnam admiſſus?

986. Major contingit, reſpondeo, dum dormimus, influxus humorum inquilinorum in ventriculum Hinc, ſi pauci ſint cibi digerendi in ventriculo, ſomnus multum adjuvat digeſtionem; verum ſi copia eorum ſit magna ac nimia, accidit, ut magna quoque nimis perficiatur chyli copia, quæ poſtea cor & pulmones obruens varia ſuſcitat mala. Cum præterea calor corporis totius ſit major in ſomno, fit etiam non raro, ut cibi fermentatione vel putrefactione prius pervertantur, quam in chylum poſſint mutari.

987. Ex eo colligimus, anxietates circa præcordia, ructus ſpaſmoticos, abdominis expanſiones, ſpirandi dificultatem, auctum fluidorum motum, & quæ ſunt hujusmodi, poſt mediam noctis, ſive poſt aliquot horarum ſomnum orta, certo eſſe ſigno, materiam chyloſam eſſe cauſam harum affectionum.

988. Inter excretiones promovet ſomnus maxime transpirationem, niſi corpus minus tectum ſit adverſus frigus externum, tunc enim adauget ſecretionem lotii imminuta transpiratione; Alvum porro, cum in eo humores dirigantur verſus peripheriam corporis, ſtringit. Nihil itaque pernicioſius, quam longior ſomnus, iis, qui proni ſunt ad ſudores & ſegni ad alvum; & e contrario nihil utilius iſto, dum transpiratio eſt promovenda.

989. Verum nec hoc caret exceptione aſſertum: Quippe illi, qui per longas meditationes effecerunt ſibi alvum raram, iſtam relaxat ſomnus, quo inteſtina humectantur arida, & ſimul mens abalienatur a ſtudiis, alvum ſtringentibus, & inteſtina exſicantibus.

990. Quantumcunque in multis casibus noxius sit somnus, non est tamen unquam perniciosior, quam si celeritas adsit in contractione cordis. Accedit enim isti tunc fortitudo, quæ retinetur per vigilias, unde necesse est, attritum humorum ad vasa esse in somno duplo majorem ac antea fuerit.

991. Hinc perspicit quilibet rationem, cur exitiosa sint narcotica in morbis acutis, cumprimis inflammatoriis? Cur febrim adaugeant? Cur somnus per ea inductus corpus aggravet? Cur ipsam accellerent gangrenam, etsi dolorem leniant?

992. Est ergo somnus noxius propter potentissimas suas vires: sunt ergo vigiliæ hoc ipso, quia humores absumunt, coctiones, secretiones, excretiones, ipsamque cordis & respirationis actiones reprimunt, sæpius utilissimæ tam in sano; quam etiam in morboso corporis statu, veluti supra jam memineramus. Inquiramus nunc in causam, quæ somnum inducit quotidie.

993. Multum disceptabatur olim inter medicos super hac causa. Viguit aliquandiu opinio, a vaporibus ventriculi, in caput adscendentibus obstrui tubulos cerebri, cum accidat, ut repleto multis cibis stomacho somnus irruat. Verum spectatis omnibus animadversum est, cui sensui hodie omnes subscribunt, penuriam fluidorum, maxime spirituum esse causam somni quotidiani, quem dicimus naturalem.

994. Si miram illam mutationem, quæ obvenit organismo per somnum, stricte contuemur, imprimis vero id, quod tanto fiat copiosior spirituum secretio in cerebello, quanto minor in cerebro, sive quanto magis obstructi sunt nervi animales, jure, opinor, dubitare possumus, quod mechanismus corporis, aut alia quæpiam causa corporea inducat somnum in dies singulos. Eadem enim causa, quæ, invadente nos somno, claudit tubulos cerebri, deberet simul etiam occludere oscula tubulorum nervosorum cerebelli: Quippe eadem stat ratio pro cerebello, quæ esset pro cerebro.

995. Medici, qui animam ipsam habent pro natura, isti hoc munus attribuunt. Verum observamus, animam, quando somno prementi obsistere molitur, pugnare adversus id, quod somnum infert, hinc certaret secum ipsa, quocirca somni quotidiani causa esse nequit.

996. Quum igitur neque mechanismus corporis, neque alia causa corporea, nec tiam anima inducat somnum; solicitæ illi corporis tutrici naturæ, quæ deficientem quemlibet liquorem inquilinum quantocyus restituere conatur, tribuendum est, quod quolibet obdormiamus die; De ea dicere convenit, quod cum anima decertet, dum ista somnum admittere renuit; De hac eadem natura adstruere quoque licet, quod, cum obdormimus, spiritus nerveos aut, si mavis, majorem sanguinis ipsius partem abducat a cerebro, & ad cerebellum derivet.

997. Nimium forsitan quibusdam videbor asseruisse, naturæ tribuendo potestatem abducendi spiritus a cerebro, & simul eos ablegandi ad cerebellum. Verum si naturæ damus vim determinandi humores ad caput, dum intensius meditamur, hanc etiam humorum determinationem ad cerebellum eidem merito concedemus, opinor.

998. Quantumvis autem & animæ, & heterogeneis derogaver mus facultatem inducendi somnum quotidianum; fateri nihilominus cogimur, & animam, & non raro heterogenea quoque multum conferre ad somnum quodidie capessendum. Anima ciet eum, dum ipsi se insinuanti obsequitur, cogitare videlicet desinit, & corpus ei adaptat. Heterogenea deinde sunt causa somni, quæ sunt juxta consuetudinem.


999. Cuncta præterea heterogenea, quæ causam tollunt vigiliarum, inducunt somnum, sive efficiunt, ut somnus sequatur naturalis. Sic calente ab animi v. g. affectione corpore, potus refrigerans; onerato nimiis cibis ventriculo, evacuans; & ita de ceteris, invitant somnum.

1000. Duplicis igitur generis sunt soporifera: alia quæ causam vigiliarum removent, ut modo vidimus:

 &

& alia, quæ tubulos nerveos obſerant quaſi, & narcotica vocamus.

1001. Ex hucusque dictis clara eſt ratio, Cur inepti ſimus ad labores, ſi non ſatis dormivimus? Cur item ſi nimium? Quare melius valeant, qui minus; quam qui ſupra neceſſitatem dormiunt? Quare alto ſomno ſopiti non percipiant ſtrepitum maximum? & e converſo non valde feſſi ante ſomnum a leni ſono excitentur? Quare vina modica ſomnum inhibeant, multa vero eum accellerent? Quare ſuavis muſicæ tonus, aut murmur & ſibilus &c iſtum inducat? Quare copioſa interdum opiata nihil efficiant in morbis ad revocandum ſomnum, quem tamen lenia dein reducunt ſoporifera?



SE-

CAPUT QUINTUM.

DE

CETERIS POTENTIARUM EFFECTIBUS.

1002. Effectus reliquos generatim solum pertractabimus.
1003 Examinabimus primo symptomata in acutis,
1004 deinde in chronicis.
1005 Motus humorum auctus est sæpe Naturæ effectus,
1006 & diarrhea,
1007 atque instinctus varii.
1008 Exerit ergo Natura effectus tempore cruditatis.
1009 Dicet aliquis, sitim, siccitatem, vigilias, &c. non esse a Natura.
1010 quod attamen in contrarium demonstratur.
1011 Surgunt etiam in sanis Naturæ motus,
1012 inque chronicis
1013 separabimus nunc symptomata naturæ a ceteris.
1014 & dividemus ea in vera & sparia.
1015 ut appetitum in cibos,
1016 sitim,
1017 desiderium rerum singularium.
1018 cumprimis in morbis.
1019 rerum dein aversiones,
1020 ut est aversio ciborum &c.
1021 quæ sæpe est signum latentis morbi,
1022 indicansque magnitudinem periculi in morbo ipso,
1023 veluti e converso appetitus optimo est indicio.
1024 Aversio rerum est non raro spuria quoque.
1025 Motus fluidorum auctus a natura est, quem, ut supra vidimus, febrilem dicimus,
1026 quove resolvitur spasmus,
1027 motus vero alius excitatur a potentiis ceteris.
1028 Determinationes humorum sunt pariter aliquæ a natura,
1029 & aliæ ab aliis caussis,
1030 imminutus vero motus non est ullus naturæ progenies,

1031 copiosiorum deinde ſpirituum motio in nervis eſt pariter alia a natura, & alia a cauſis aliis.

1032 confuſus vero eorundem progreſſus rarius eſt naturæ tribuendus,

1033 ſymptomata reliqua ſunt æque varia,

1034 ut eſt ſputum cruentum,

1035 quod ſi levamen adfert eſt a natura;

1036 & e converſo ab alia potentia, ſi morbum augeat.

1737 Dolor, anxietas &c ſunt ſemper effectus cauſarum corporearum.

1038 Recenſiti effectus generant nonraro alios rurſum effectus.

1039 Motus & inſtinctus veri ſunt vel moderati, vel nimii.

1040 Ex his diſpicimus non pauca morborum ſigna prognoſtica.



C A-

CAPUT QUINTUM.

DE RELIQUIS POTENTIARUM EFFECTIBUS.

1002. Quemadmodum pertractati, ita ceteri quoque effectus ſunt ſæpe cauſa aliorum rurſus effectuum. ut rerum appetitiones, humorum motus majores, & aut iſtorum determinationes in quaſpiam corporis partes &c. Verum cum opus in maximum excederet volumen, ſi de ſingulis agere vellemus, effectus reliquos generatim ſolum percurremus, & ad ſuas tantummodo eos referemus cauſas.

1003. Diſcutiemus videlicet primo, utrum omnia prorſus ſymptomata in acutis ſint, quamdiu perſtat cruditas, effectus ipſius morbi, noxia proinde atque quantocyus ſupprimenda? vel an ſint etiam aliqua eorum naturæ producta, ideoque utilia & conſervanda potius?

1004. Inquiremus deinde in ſymptomata ſive in motus præternaturales, quos dicimus, qui in nobis ſanis aut ſaltem talibus reputatis paſſim excitantur; & denique in ſymptomata, quæ in cronicis obveniunt, utrum ſint omnia cauſarum morbificarum effectus; aut quædam naturæ tutricis?

1005. Motus humorum febrilis eſt omnium pene medicorum conſenſu molimen naturæ morbum percoquentis. Quare eum non retinendum ſolummodo, ſed inſuper etiam, ſi torpeat, magis adhuc excitandum eſſe, unanimi fere adſtruunt effato medici.

1006. Si dein animum advertimus ad ſtragem, quam cohibita ab imperitis diarrhea jam ediderat inter mortales, ex quo nefas eſſe eam ſiſtere, confecerunt in arte verſati; jure opinamur, iſtam pariter eſſe effectum naturæ, malum quantocyus exterminare conantis.

1007. In quovis pene morbo acutiori, cumprimis si humores in putridum nutent, adest desiderium acescentium & acidorum. Appetitionem istam esse a natura, nemo vertit in dubium. Idem dicunt omnes de instinctibus rerum singularium, qui in ipsa sæpe morborum cruditate notantur.

1008. Ex his & similibus manifestum esse judico, quædam symptomata, motus, & instinctus in ipso quoque cruditatis statu esse naturæ (§. 1004.) effectus.

1009. Si motus febrilis, objiciet forsitan aliquis, esset considerandus tanquam effectus naturæ, proindeque ut aliquid salutare, forent omnes ex eo geniti effectus pari ratione accipiendi. Quis est autem, qui sitim, siccitatem, vigilias, ac ceteros febris effectus læto contempletur animo, salubriaque reputet, & conservanda statuat?

1010. Hoc ipso respondeo, quod sitis sit adaucti motus sive naturæ progenies, est ei obtemperandum. Hoc dein etiam ipso non sunt vigiliæ in acutis opio sopiendæ; dant enim, ut supra vidimus, incrementum febri. sed de his alibi plura.

1011. Dum quis cœna lautiori oneraverat stomachum, augetur in somno motus humorum, cui sudor copiosus imponit finem. Appetimus æstuante cælo acescentia & acida. Ferimur inviti quoque in assumendam rem vel actionem consuetam. Hæc & alia hujusmodi plurima esse naturæ motus & incitamenta, nemo it inficias. Excitantur ergo motus in nobis sanis (§. 1004.) & instinctus aliqui a natura.

1012. Diversa sæpe moliri naturam in morbis quoque chronicis, ut materiam noxiam immutaret, vel expelleret e corpore, palam est. Exanthemata nempe frigida, Erysipelas, rerum singularium utilium appetitiones & similia conservatricis naturæ effectus esse, communi fere medicorum consensu est definitum. Multa sunt igitur in chronicis pariter symptomata, naturæ tribuenda.

1013. Quum itaque symptomata naturæ rite sint semper distinguenda a ceteris, sintque tam in acutis quam etiam in chronicis, inque sano corporis statu

copio-

copioſa reperienda, non inutile fore exiſtimavi, diſtinctionem iſtam proprio pertractare capitulo, imprimis vel ideo quoque, quod Authores naturæ ſymptomata negent in acutis, quamdiu perſtat ſtadium cruditatis; de ſymptomatibus autem naturæ in chronicis perpauca recenſent. Diſcutiemus proinde primo inſtinctus, poſtea humorum motum, & denique ſymptomata reliqua.

1014 In ſejungendis Inſtinctibus naturæ a ceteris nihil eſt commodius, nihil magis conveniens vulgari illa, ab omnibus medicis uſu retenta, diviſione appetitionum in *Verſas* & *Spurias*. Quandoquidem unaquæque appetitio, quam *veram* nominamus, eſt effectus ſolius natura; & ex oppoſito, quæ *Spuria* dicitur, Potentiæ alius.

1015. Appetitus in cibos *verus* eſt ille, qui provenit ab inopia liquoris plaſtici nutrientis, longitudine temporis, vel exercitatione corporis abſumpti. *Spurius* autem eſt, qui per acida, aliaque condimenta, per acria in phtyſi, aliiſque in morbis, aut per imaginationem excitatus eſt.

1016. Sitis vera eſt, quæ ſurgit deficiente liquore, qui ſanguinem diluit; Spuria vero eſt in frigore febrili, poſt aſſumpta acida, vel dulcia, talis eſt etiam potatorum, dum de ſuavi vini ſapore cogitant.

1017. Cupiditas rerum ſingularium eſt illa vera, quæ eſt rerum conſuetarum; Spuria vero rerum ſimilium, quæ a ficto generatur deſiderio: dum puer videt ſocium, qui herbam nicotianæ in uſum vocat, pari in eundem uſum movetur aviditate.

1018. Veræ ſunt pariter appetitiones vehementes rerum ſingularium in morbis. Sic natura inſtigante vorat chlorotica cretam; ſic eadem concitante appetit æger in calore febrili acida, aut interdum vinum: Similes miræ naſcuntur ſæpe in parturientibus: Spuriæ autem ſunt omnes imaginando partæ tum in ægris, tum etiam in mulieribus, & pueris.

1019. Omnia fere, quæ de appetitionibus attulimus, ad averſiones rerum æque refferri poſſunt, ſunt eapropter iſta-

iſtarum quoque aliæ Veræ, & aliæ Spuriæ: Illæ ſimiliter etiam a natura erectæ; iſtæ vero a cauſis aliis.

1020. Vera eſt averſio ciborum, repleto eis ventriculo; vera item in morbis acutis chroniciſque; vera quoque rerum noxiarum v. g. alcaleſcentium in morbis putridis; vera pariter vini, herbæ nicotianæ, & ſimilium rerum, quæ fuerant antea in conſuetudine, alias utpote gratiſſimorum.

1021. Si hujusmodi averſio remanet poſt abactum jam morbum, eſt nobis argumento, latere adhuc crudum in infirmo corpore, unde jure veremur, ne morbus recrudeſcat, ſi ſincerus non redeat ciborum ſapor, vel prior edendi voluptas, etſi æger morbo ſe multum levari ſentiat.

1022. Ex eo colligimus pariter; ægrum tanto magis periclitari, quanto plus repudiat cibum & potum. ſignificat id enim humores multum deflexiſſe a ſuo ſtatu, ſenſuumque organa eſſe admodum vitiata.

1023. Quemadmodum autem malum eſt indicium, ſi e morbo convaleſcens non plenum percipiat appetitum, aut non ſolita priori feratur aviditate in res ante morbum uſurpatas; ita e contrario multa in ipſis quoque morbis promittit deſiderium rerum vel actionum conſuetarum, priſtinaque ciborum appetentia.

1024. Spuria deinde averſio ciborum eſt ea, quæ proficiſcitur ab idea rei nauſeoſæ, ab aſſumptis oleoſis, putridis & ſimilibus ingeſtis, vel in corpore natis. His addendus eſt aquæ metus in rabie canina.

1025. Adauctus deinde fluidorum motus (quem ſecundo diſtinquendum §. 1013.) propoſuimus, eſt a natura ille, quem vere febrilem dicimus, ad concoquendam morbi materiem ſuccenſus, veluti ſupra demonſtravimus; item & ille, quo nimia ciborum digeritur in ventriculo copia.

1026. Eadem de cauſa eſt is quoque accelleratus humorum motus naturæ attribuendus, quem iſta inducit, dum ſpaſmoticam partis cujuſpiam conſtrictionem reſerare contendit, quive dein, reſoluto videlicet ſpaſmo, ſudore terminatur.

1027. Alteri porro cuidam potentiæ, animæ ſcilicet, & heterogeneis adſcribendus eſt auctus liquidorum motus, quem aut anima, aut acria ſtimulantia concitant, qualis eſt in irato; in eo, qui corpus ſuum exercet, aut in febri ſcorbutica, vel poſt aſſumpta aromata, ſpirituoſa, & quæ iſtiusmodi ſunt.

1028. Affluxus poſtea humorum major ad partem aliquam corporis eſt æque aliquis a natura, & alter ab aliis Potentiis: A natura eſt determinatio ſanguinis copioſi ad caput, dum intente cogitamus; ad partem item inflammatam, vel irritatam.

1029. Quando humores ſolito plures pelluntur in partem corporis, quæ aut per antegreſſum morbum eſt admodum debilitata, aut per emolientia, cucurbitas & ſimilia relaxatur, non promoventur in dictam partem a natura, ſed ab organiſmo.

1030. Imminutus humorum per vaſa circuitus, quem frigus appellamus, non eſt unus, quemadmodum ſupra jam commemoravimus, a natura, ſed quilibet ab alia quadam potentia.

1031. Liquoris nervei major influxus in muſculos animales eſt æque alter naturæ, & alter alteri potentiæ adſcribendus. A natura ſunt convulſiones, quæ criticam in morbis antecedunt evacuationem, fluxum menſtruum, vel partum: Potentiis vero reliquis ſunt, dum aut anima fortius ſuos ultro conſtringit muſculos; aut iſtos acre rodit, ut fit in tetano; vel ſi ſenſorium vellicet commune, ut accidit in convulſionibus non criticis.

1032. Inordinatus vero liquoris nervei motus raro eſt effectus naturæ, ſed potiſſime aliarum potentiarum. Præter enim tremorem muſculorum, qui ad criſim, ad fluxum ſanguinis menſtruum, vel ad partum promovendum inducitur, vix eſt ullus naturæ adſcribendus.

1033. Inter ſymptomata reliqua, quæ ultimo §. 1013. dividenda conſtituimus, ſint ejectiones humorum e corpore, quæ non minus, ac jam expoſita, ſunt aliquando a natura, & quædam ab aliis cauſis inductæ.

1034.

1034. Sputum cruentum ſit nobis pro exemplo: hoc ſi contingat propter retentum cruorem menſtruum, vel hemorhoidalem, eſt naturæ in acceptis referendus, noxium expellentis, atſi proveniat ab acrimonia pulmones irritante, eſt quidem effectus naturæ quoque, ſed per accidens ſolum, ut loquimur. Siquidem eodem motu, quo natura aere e pulmonibus exprimere contendit, exprimitur una ſanguis. Si vero accidat ob ruptam, diſciſſam, vel pereſam arteriolam pulmonalem, eſt ſolius organiſmi effectus. Eandem admittunt diviſionem mictus cruentus, hemorrhoides, fluxio menſtrua, diarrhea, ſudor & reliqua.

1035. Signum, quod natura dat excretionis a ſe concitatæ, precipuum eſt alleviatio corporis. Hinc colligimus, ejectionem materiæ eſſe eam, ac tantam utilem, adeoque conſervandam, quæ & quanta levamen adfert.

1036. Indicium alterum quo evacuatio per naturam inducta dignoſcitur ab excretionibus per alias cauſas incitatis apte petitur a contrario, ſi nimirum ſymptomata morbi increſcant, dum excretio arte, errore, vel ſponte minuitur, aut ſubſiſtit.

1037. Dolor, axietas, laſſitudo, debilitas, & cetera hujusmodi ſunt effectus dictorum hucuſque ſymptomatum, cauſarum itaque ſemper corporearum. Quamobrem ſunt naturæ adſcribendi, ſi cauſa eorum fuerit effectus naturæ; & contra alteri potenti, ſi iſta ſit effectrix cauſæ, quæ ſymptoma, de quo quæritur, inducit. Sic dolor, qui provenit a diſtenſione vaſorum in parte corporis inflammata, eſt a natura; at qui ab acrimonia rodente, & vaſa diſcerpente generatur, eſt ab iſta inductus. Ceteros naturæ effectus e prima hujus partis ſectione facile eruet quisque, facileque dignoſcet ab effectibus reliquarum trium potentiarum.

1038 Si effectus iſtos conſideraverimus tamquam cauſas, reperiemus novam rurſus effectuum ſeriem, quam unusquiſque inducere poſſet, ut dolor v. g. impedit ſomnum, turbat coctiones, in animo erigit triſtitiam & ſimilia, e quibus alia iterum ſine numero mala, ex

effe-

effectibus Potentiarum supra recensitis facili negotio derivanda.

1039 Divisimus hucusque instinctus & motus, quos vocamus præternaturales, in veros, & spurios. Verum si eorum utilitatem spectemus, dividendus est quilibet effectus Naturæ, sive motus & instinctus, quem *verum* dicimus, rursus in moderatum; & in eum, qui moderationis excedit limites. Ille, quemadmodum jam diximus, est unusquisque utilis, & non vanum in finem a natura concitatus, ideoque semper audiendus: nimius autem tum motus, tum instinctus, etsi sit non minus, ac prior salutaris, quia tamen modum excedit, est perniciosus; Hinc intra temperationis terminos reducendus est, inter quos evadit, qui extra istos fuisset exitiosus, jam saluberrimus.

1040. Ex hac symptomatum divisione, atque sejunctione eorum, quæ naturæ sunt, a ceteris sive ab iis, quæ aliis potentiis suum ortum debent, intelligimus, quæ rerum appetitiones, & aversiones; qui motus in humoribus; quæ evacuationes; & demum quæ symptomata sint noxia? & quæ utilia? Quæ malum? & quantum portendant? & contra, quæ spem faciunt, & quantam? quæ sint fovenda; & quæ e converso ex tempore penitus; & quæ denique lente ac pedetentim sopienda? sed de istis quoque plura in sequentibus.



